ANTONII DADINI ALTESERRÆ NOTÆ ET OBSERVATIONES IN ANASTASIUM

De Vitis Romanorum Pontificum.

PARISIIS,
Apud LUDOVICUM BILLAINE, in Palatio Regio.

M. DC. LXXX.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

ILLUSTRISSIMO VIRO DOMINO

DOMINO

MICHAELI LE TELLIER

GALLIARUM CANCELLARIO.

CANCELLARIE ILLUSTRISSIME,

Notas & Observationes in Anastasium de Vitis Romanorum Pontificum,

non uno titulo tibi offero. Scio quâ reverentiâ & religione spectes Romanam Ecclesiam, Sedemque Apostolicam, & omnia quæ ad eam colendam pertinent, benevolè & devotè legas & audias. Italiam à Longobardorum jugo armis Pipini Regis & Caroli M. ereptam, simul & Patrimonium D. Petri, Regum nostrorum beneficium veriùs quàm Constantini esse, non sine suavi animi sensu leges. Fidei Gallicanæ vestigia à primis clara temporibus, sacræ & prophanæ antiquitatis quæ ibi occurrunt, monumenta observare non pigebit. Moveor etiam, CANCELLARIE ILLUSTRISSIME, *singulari studio, quo restituendo Iuri Civili das operam, & Christianissimo Regi, postquam Gallias bello restituit, de restituendis pacis dotibus laboranti fidus consiliorum particeps, ac executor existis.*

Nec est quòd miremur Te belli & pacis consilia pari robore pertractare : jam diutinis rerum experimentis didicimus quantum in rebus domi & foris agendis valeas. Per omnes dignitatum gradus, in singulis optimè meritus ad honorum fastigium perveniſti. Totus Reipublicæ natus non solùm per Te, summa cum laude functus es, majoribus Regni muniis, sed & in liberis traduce virtutis semine, maximas Ecclesiæ & Reipublicæ partes feliciter geris. Ne quid omittam, rerum Romanarum maximè sacrarum investigatio, non indignus visus est locus, referendæ tibi gratiæ modò accepti beneficii in probatione meorum Operum, & judicio de his. Nonne par erat Tibi offerri partum, qui Te auctore prodit in lucem ? Quid convenientius quàm Tibi dicari Opus merè Romanum & Ponti-

ficium. Has igitur Observatiunculas, CANCELLARIE ILLUSTRISSIME, *singularis in Te observantiæ, & grati animi argumentum suscipe; & à Romanis neglecta, ab Aquitano vindicari æqui bonique consule.*

TUÆ AMPLITUDINI

Addictissimus & devotissimus ANT. DADINUS ALTESERRA, U. J. Professor, & Decanus Universitatis Tolosanæ.

Lutetiæ Parisiorum die 1. *Mart.* 1679.

INDICULUS
ROMANORUM PONTIFICUM
quorum Vitæ in hoc Opere illustrantur.

A

Adeodatus. 70
Adrianus I. 114
Agapitus I. 53
Agatho. 72
Alexander I. 4
Anacletus. 3
Anastasius I. 36
Anicetus. 8

B

Benedictus I. 58
Benedictus II. 77
Benedictus III. 153
Bonifacius I. 38
Bonifacius II. 51
Bonifacius III. 59
Bonifacius IV. *ibid.*
Bonifacius V. 60

C

Caius. 17
Calixtus I. 10
Celestinus I. 38
Clemens I. 2
Conon. 80
Constantinus. 87
Cornelius. 12

D

Damasus I. 34
Deusdedit. 60
Dionysius. 15
Donus I. 71

E

Evaristus. 4
Eugenius I. 67
Eugenius II. 138
Eusebius. 19
Eutychianus. 16

F

Fabianus. 12
Felix I. 15
Felix III. 45

G

Gelasius I. 45
Gregorius II. 91
Gregorius III. 94
Gregorius IV. 138

H

Hilarus. 40
Honorius I. 61

Hormisda. 49
Hyginus. 8
I
Innocentius I. 37
Joannes II. 52
Joannes III. 57
Joannes V. 79
Joannes VI. 85
Joannes VII. 86
Julius I. 32
L
Leo I. 40
Leo II. 75
Leo III. 125
Leo IV. 145
Liberius. 33
Linus. 1
Lucius I. 14
M
Marcus. 31
Marcellinus. 18
Marcellus I. 19
Martinus I. 65
Melchiades. 19
N
Nicolaus I. 157
P
Paschalis I. 136
Paulus I. 108
Pelagius I. 57
Pelagius II. 58
Pius I. 9
S
Sergius I. 80
Sergius II. 144
Severinus. 62
Silverius. 53
Simplicius. 43
Siricius. 35
Sisinnius. 87
Sixtus I. 6
Sixtus II. 14
Sixtus III. 39
Soter. 9
Stephanus I. 14
Stephanus III. 104
Stephanus IV. 108
Stephanus V. 135
Sylvester I. 19
Symmachus. 46
T
Telesphorus. 6
Theodorus I. 63
V
Vigilius. 55
Vitalianus. 68
Urbanus I. 11
Zacharias. 100
Zepherinus. 9
Zozymus. 38

ANTONII DADINI ALTESERRÆ NOTÆ ET OBSERVATIONES IN ANASTASIUM

De Vitis Romanorum Pontificum.

IN LINO.

HIC ex præcepto beati Petri constituit, ut mulier in Ecclesiam velato capite introiret. A Petro memoratur hîc institutum, ut mulieres velato capite sint in Ecclesia, quò pudori sexûs consulatur. Idem à Paulo præceptum, 1. Corinth. 11. ut mulier oret velato capite, quasi monente natura, quæ capillos dedit mulieri *ἀντὶ περιβολαίου, pro velamine.* Apostolicæ institutionis fuit, ut mulieribus locus tabulato distinctus à viris esset in Ecclesia. Jo. Chrysostom. in Matth. Homil. 74. *ἐχρῆν μὲν οὖν ἔνδον ἔχειν τὸ τεῖχος τὸ διαῤῥῆξαι ὑμᾶς τῇ γυναικῶν. Oportebat quidem interiore pariete à mulieribus separari.* Augustin. de Civ. Dei libr. 22. cap. 8. *Admonetur in somnis appropinquante Pascha, ut in parte fœminarum observanti ad baptisterium, quæcumque illi baptizata pri-*

mitus occurrisset, signaret ei locum signo crucis Christi. Anastas. in Sergio : *Hic fecit imaginem Beati Petri Apostoli, quæ est in parte mulierum.* Idem in Gregorio III. *Hic fecit oratorium intra eandem basilicam, juxta arcum principalem parte virorum.* Idem in Adriano I. *Et rugas in Presbyterio à parte virorum & mulierum ex argento purissimo.* Idem in Leone III. *Simulque ut columnas tornatiles tam in ingressu corporis dextra lævaque ex parte virorum ac mulierum.* Dicatis etiam virginibus proprius locus erat in Ecclesia. Ambros. ad Virgin. lapsam cap. 6. *Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant tua oscula petentes, quæ sanctiores & meliores te erant?*

IN CLEMENTE.

HIC fecit septem regiones dividi notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicitè & curiosè unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent. A Clemente Pontifice notarii per septem regiones Urbis dispositi, qui gesta martyrum scriberent, & in acta Ecclesiæ referrent. Notarii erant scriptores qui celerrimè per notas scribebant. De quibus Martialis libr. 14. Epigr. 208.

Currant verba licèt, manus est velocior illis :
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Inde dicti notarii, quòd per notas quæ σηλαὶ dicuntur, celeritatis causâ scriberent. Augustin. de Doctrin. Christiana libr. 2. cap. 26. *Ex eo genere sunt etiam notæ, quas qui didicerunt, propriè jam notarii appellantur.* Hoc genere scriptorum passim usi sunt veteres. Hieronym. in Esaiam cap. 13. in Prolog. *Dictamus hæc, non scribimus, currente notariorum manu currit oratio.* Idem ad Alipium & Augustin. *Si autem Dominus vitam tribuerit, & notariorum habuerimus copiam, paucis lucubrationibus respondebimus.* Idem ad Augustin. *Grandem Latini sermonis in ista provincia notariorum patimur penuriam.* Id. genus scriptorum majori sumptu conducebatur. Idem adversus Vigilantium : *Parce saltem nummis tuis, quibus notarios librariosque conducens, eisdem & scriptoribus uteris, & fautoribus.* Ecclesia Romana suos habuit notarios, qui gesta martyrum exciperent. Præter hunc locum Anastasius in Antero : *Hic gesta martyrum diligenter à notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit.* Eorumdem munus fuit notitiam Ecclesiæ, id est, omnia gesta Ecclesiæ

conficere, putà donationes, permutationes rerum Ecclesiæ, manumissiones servorum Ecclesiæ, & cætera. Anastas. in Julio: *Hic constitutum fecit, ut notitia, quæ omnibus pro fide Ecclesiastica est, per notarios colligeretur, & omnia monumenta in Ecclesiam per primicerium notariorum confecta celebrarentur, &c.* Erant quatuordecim regiones Urbis, quæ à Clemente in septem contractæ, & singulis impositi notarii, qui martyrum gesta exciperent. Inde dicti sunt notarii regionarii. Anastas. in Adriano: *Domnus Paulus Papa eum clericari jussit, quem notarium regionarium in Ecclesia constituens, postmodum eum Subdiaconum fecit.*

Sepultus est in Græcia. Clemens Romanus Pontifex in Græcia sepultus, hac occasione, quòd in persecutione Trajani in Chersonessum relegatus, anchorâ collo illigatâ, in mare præceps missus, inde corpus ejus Romam translatum Nicolao I. Pontifice, de quo Martyrolog. Rom. Nov. 23. Gregor. Tur. de Glor. Martyr. cap. 35 36.

IN ANACLETO.

HIC memoriam Beati Petri construxit & composuit. Anacletus furente ipsa persecutione memoriam, id est, ædem sacram dicavit B. Petro. Memoriæ Apostolorum & martyrum dictæ ædiculæ sacræ, quæ tempore persecutionis ædificatæ sunt in ipsorum memoriam, quòd eorum memoria ibi celebraretur. Optatus Milevit. lib. 2. *Denique si Macrobio dicatur, ubi illic sedeat; numquid potest dicere, In cathedra Petri, quam nescio si vel oculis novit, & ad cujus memoriam non accedit quasi schismaticus?* Et mox: *Ecce præsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorum.* Et infrà: *Si nefas tibi videtur, aut reatum putas, memoriis Apostolorum & Sanctorum omnium communicasse.* Augustin. in Psalm. 44. *Ostendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri.* Idem in Psalm. 65. *Melius est ut Romam cùm venerit Imperator, deposito diademate ploret ad memoriam Piscatoris, quàm ut Piscator ploret ad memoriam Imperatoris.* Idem in Psalm. 140. *Imperator venit Romam, quò festinat ad templum Imperatoris, an ad memoriam Piscatoris.* Idem de Civit. Dei lib. 22. cap. 10. *Nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus.*

IN EVARISTO.

HIC titulos in urbe Roma divisit Presbyteris. Evaristus in Urbe titulos divisit Presbyteris: id est, singulis Ecclesiis imposuit Presbyteros, in eis ordinatos sub earum titulo. Ecclesiæ dicebantur tituli, quia cùm Presbyteri ordinabantur, ordinatio fiebat sub earum titulo. Ordinatio non fiebat sine titulo, id est, adscriptione certæ Ecclesiæ, in qua ordinatus titulatus dicebatur, can. *Neminem.* can. *Sanctorum.* 70. dist. Augustin. de Bon. conjugal. cap. 24. *Quemadmodum si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinandis sacramentum ordinationis.* Hinc ordinandus in Episcopum, nondum Presbyter, priùs ordinabatur in Presbyterum sub titulo certæ Ecclesiæ. Regin. 2. Chronic. *Porro Coloniæ Agrippinæ Rex Hilduinum Abbatem præponere tentavit in Pontificali cathedra, fecitque à Francone Episcopo Tungrensis Diœcesis in Aquis-Palatio Presbyterum ordinari ad titulum sancti Petri prædictæ Metropolis.* Tituli quos Evaristus instituit, sunt tituli Cardinales, id est, Ecclesiæ adscriptæ Presbyteris Cardinalibus, quarum numerus per tempora adauctus est. Anastas. in Marcello: *Et viginti quinque titulos in urbe Roma constituit quasi Diœceses, propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, & propter sepulturas martyrum.*

Et septem Diaconos constituit, qui custodirent Episcopum prædicantem, propter stylum veritatis. Ex constitutione Evaristi septem Diaconi debent adstare Episcopo prædicanti, ut custodes habeat adversus insidiantes, & testes veritatis prædicatæ adversus detractores, can. *Diaconi.* 93. dist. Ex Synodo Romana habita sub Gregorio Episcopus debet habere Clericos in privato famulatu, ut testes habeat conversationis, can. *Cura Pastoris.* 2. qu. 7. Imò ex constitutione Lucii Episcopus in omni loco circa se debet habere duos Presbyteros & tres Diaconos propter testimonium Ecclesiasticum, can. *Jubemus. de consecr.* dist. 1. de quo & Anastas. in Lucio.

IN ALEXANDRO.

HIC Passionem Domini miscuit in precationem Sacerdotum, quando missæ celebrantur. Constitutum de memoria Passionis Christi in missæ sacrificio celebranda, non est proprium Alexan-

dri, sed potiùs ipsius Christi, cùm præcepit Apostolis, ut quotiescumque facerent, hoc est, sacrificarent, in ejus memoriam agerent. *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. Quæ verba secutus Paulus 2. Cor. 1. *Quotiescumque*, inquit, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Memoria Passionis Christi quotidie celebratur in sacrificio missæ. Olim lectio Passionis Christi fiebat semel in anno. Augustinus de Tempore serm. 144. *Passio autem, quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundùm Matthæum. Volueram aliquando ut per singulos annos secundum omnes Evangelistas etiam Passio legeretur. Factum est; non audierunt homines quæ consueverunt, & perturbati sunt.*

Hic constituit aquam asperſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum. Ex constitutione Alexandri aqua sale benedicta non modò in Ecclesia, sed & in ædibus privatorum haberi debet, can. *Aquam. de consecrat.* dist. 3. Usum aquæ lustralis seu benedictæ in Ecclesia, Apostolicæ institutionis esse tradit Auctor Constit. Apostolic. lib. 7. cap. 44. Eandem etiam in ædibus singulorum haberi statuit Alexander, non abs causa, quia sparsio aquæ benedictæ valet ad arcendos dæmones, avertendas calamitates frugum & segetum, & vitandos nocturnos terrores. Marcellus Episcopus Apamæensis in Syria sparsâ aquâ benedictâ fugavit dæmonem, qui fani Jovis eversionem impediebat. Theodoret. lib. 5. cap. 21. ἀπέδρᾱμε ὁ δαίμων, οὐκ ἐνεγκὼν τὴν ὕδατος προσβολήν. *Aufugit dæmon, non ferens vim aquæ aſperſæ.* Dæmones qui ægro insultabant, sparsione aquæ benedictæ pulsos narrat Petrus Cluniacensis de Miracul. lib. 1. cap. 7. *Unde alta voce ſocium Olivum, ut ſurgeret, inclamans, vas quod fortè cum aqua benedicta in proximo dependebat, fide plenus arripit, & ſanctificatum elementum huc illuc que conſidenter aſpergens, omnia illius habitaculi loca infundit.* Et infrà: *Quibus penitus ægro qui hoc ſolus cernebat teſtificante excluſis, & ille à dæmonum infeſtatione liberatus eſt, & quantùm ad ſimilia valeat ſalutaris aquæ cum fide aſperſio, demonſtratum eſt.* Cladem locustarum vastantium segetes aquâ benedictâ per agros sparsâ avertit Stephanus VI. Pontifex. Anastas. in ejus vit. *Surrexit, & aquam propriis manibus benedicens, manſionariis præcepit dicens: Tollite, & ſingulis diſtribuite, monentes ut in nomine Domini agros ſuos circumeant, & hanc aquam ſpargant per ſata & vineas, petentes divinum ſibi ſuffragium & ſubſidium.* Quid, Anselmus Abbas in Cantuariensem Archiepiscopum electus, & ad Ecclesiam raptus, electionis impatientiâ penè exanimis, aquâ benedictâ aspersâ & potâ statim ad

animum rediit. Testis ipse lib. 3. epist. 1. ad Fratres Beccenses: *De longè audientes accurrerunt, & videntes me aut animam, aut sensum amissurum, timuerunt, & hoc timore aquâ benedictâ me aspergentes, eam mihi potandam porrexerunt.* Aqua benedicta etiam prodest ad curandas febres & alios morbos. Gregor. Turon. de Glor. Confess. cap. 24. *Quartanariis quoque & gulam dolentibus data benedicta aqua sæpius medebatur.*

IN SIXTO.

HIC constituit ut ministeria sacra non tangerentur, nisi à ministris. Decretum Sixti est, ne vasa sacra ab aliis quàm à sacris ministris contrectentur, can. *In sancta. de consecr.* dist. 1. Ex Conc. Laodicensi can. 21. non licet Subdiaconis, quorum nondum sacer erat ordo, sacra vasa contrectare. Ex Conc. Bracar. I. can. 28. idem interdictum est Lectoribus. Can. *Non oportet.* can. *Non licet.* 23. dist. ministeria sunt vasa sacra. Anastas. in Gregor. II. *Ambonem etiam marmoreum in eadem Ecclesia fecit, eamque diversis ditavit linteis, atque ministeriis.* Idem in Urbano: *Hic fecit ministeria sacrata omnia argentea.*

Hic constituit, ut quicumque Episcoporum evocatus fuisset ad Sedem Apostolicam, & rediens ad Parochiam suam, non suscipieretur, nisi cum literis Patriarchæ salutationis plebi, quæ est Formata. Sixti alterum decretum est, ne Episcopus evocatus ad Sedem Apostolicam, inde rediens in sua Ecclesia admittatur sine formatis, ut liqueat an habeat communionem Sedis Apostolicæ. Formatæ erant literæ quibus significabatur, portitores literarum habere communionem Sedis Apostolicæ. Optat. lib. 2. post editam feriem Romanorum Pontificum à Petro usque ad Siricium: *Cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat.* Et Augustin. epist. 163. *Hic primò asserere conatus est, ubique terrarum esse communionem suam. Quærebam utrum epistolas communicatorias, quas Formatas dicimus, posset quò vellem dare.*

IN TELESPHORO.

HIC constituit ut septem hebdomadæ ante Pascha jejunium celebraretur. Jejunium Quadragesimæ non est primitus institutum à Telesphoro: id enim institutionis Apostolicæ esse jam observatum ex can. 69. Apostolorum; sed Pontificia lege sancitum,

can. *Statuimus.* dist. 4 Jejunium enim Quadragesimæ à Domino institutum agnovere Patres. Hinc illud fidei nostræ opus vocitat Ambros. serm. 33. *Diximus superiore Dominica hoc esse fidei nostræ opus primum, ut horum quadraginta dierum curriculo devotissimè jejunemus.* Et illud jejunium à quibusdam infringi contra præceptum Domini conqueritur idem serm. 35. *Qualis autem Christianus es, cùm, Domino jejunante, tu prandes? Dicite enim mihi, interrogo vos, qui in Quadragesima prandetis, si non in conscientiis vestris rei estis, quòd abstinente toto populo, vos soli contra præceptum Domini devoratis.* Jejunium Quadragesimæ ad exemplum jejunii Christi institutum. Hieronym. in Jonam cap. 3. *Ipse quoque Dominus verus Iona missus ad prædicationem mundi jejunavit quadraginta dies, & hæreditatem nobis jejunii derelinquens, ad esum corporis sui sub hoc numero nostras animas præparat.* Jejunium Quadragesimæ constituitur septem hebdomadis. Hinc Gregorius Homil. 16. in Evangel. in Dominica 1. Quagragesim. *A præsenti etenim die usque ad Paschalis solennitatis gaudia, sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt, ex quibus dum sex dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quàm triginta & sex dies remanent.*

Et natali Domini nocte missæ celebrarentur, cùm omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret missam celebrare, qua horâ Dominus noster ascendit crucem. Telesphori constitutum est, ut in nocte nativitatis Dominicæ missæ celebrentur, cum extra hunc diem missæ non celebrarentur ante horam tertiam, qua Christus crucifixus est, can. *Nocte sancta. de consecr.* dist. 1. In natali Domini missa celebratur de nocte in galli cantu. Abbas Urspergens. *Centius quidam civis Romanus, ex fautoribus Henrici IV. in nativitate Domini Gregorium Papam* (is est Gregor. VII.) *in galli cantu missam celebrantem, de altari graviter vulneratum rapuit, & in turre sua in custodiam misit.* In die natali Domini in missa quæ celebratur in galli cantu, Evangelium alta voce legit Carolus IV. Imp. de quo Albert. Argentinens. in Chronic. *In die quoque sancto nativitatis Domini Rex communicatus fuit, legitque in missa galli cantu alta voce, habens in manu evaginatum gladium, Evangelium Exiit edictum à Cæsare Augusto* Mediam noctem signat galli cantus, quo Christiani surgebant ad orandum. Augustin. in Psalm. 118. *Post galli cantum consuevit esse tempus orandi.* In honorem nativitatis Domini multa singularia introducta sunt. Primum, quòd missa celebratur de nocte. Secundum, quòd eodem die tres missæ celebrantur; prior media nocte, qua horâ natus est Christus; secunda di-

luculo, id est, sub lucem; tertia, horâ tertiâ qua solent celebrari missæ publicæ. Gloss. in d. can. *Nocte.* cap. *Consuluisti. de celebrat. missar.* Tertium, quòd si natalis Domini incidat in feriam sextam, licet vesci carne ex consuetudine generali cap. ult. de observ. jejun. de quo Matth. Paris ad ann. 1255. *Erat autem illo anno dies natalis Domini feriâ sextâ, & comederunt aliqui carnes, ob reverentiam Christi, quia Verbum caro factum, ea die prodiit in lucem sæculi, unde quidam admirative ait: O carni concessus honor!* Missæ publicæ celebrantur horâ tertiâ, can. *Et hoc. de consecr.* dist. 1. Conc. Emeritens. can. 19. Aurelianens. III. can. 14. de quo dixi Dissert. lib. 6. cap. 2.

Et ante sacrificium hymnus diceretur angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo. Postrema pars decreti Telesphori est, ut initio sacrificii missæ caneretur hymnus angelicus, hoc est, *Gloria in excelsis Deo.* Primum hoc institutum à Telesphoro, ut hymnus angelicus caneretur in missa in natali Domini, d. can. *Nocte sancta.* Deinde usu receptum, ut idem hymnus decantetur semper in missis solennibus, etiam in Cœna Domini, can. *Porro. de consecr.* dist. 1. Symmacho hoc tribuit Anastas. in ejus vit.

IN HYGINO.

HIC Clerum composuit, & distribuit gradus. Ordines Ecclesiastici distincti erant jam à tempore Apostolorum, & gradus cujusque compositus: verum aliquid additum priori distinctioni & gradui ordinum ab Hygino credendum est.

IN ANICETO.

HIC constituit ut Clerus comam non nutriret, secundùm præceptum Apostoli. Aniceti decretum est, ne Clerici comam nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant, can. *Prohibere.* 23. dist. Ex antiqua consuetudine Ecclesiæ Clerici fuere tonsi in coronam. Beda Hist. Anglic. lib. 4. cap. 1. de Theodoro, qui à Vitaliano Papa ordinatus, & in Britanniam missus Evangelii prædicandi causâ: *Qui Subdiaconus ordinatus, quatuor expectavit menses, donec illi corona cresceret, quò in coronam tonderi posset: habuerat enim tonsuram more orientalium sancti Pauli Apostoli.* Nativam coronam capillorum ordine suo in orbem surgente habuisse memoratur Nicetius Trevirensis Episcopus. Gregorius Turon. de Vit. Patr. cap.

cap. 17. *Igitur sanctus Nicetius Episcopus, ab ipso ortus sui tempore Clericus designatus est: nam cùm partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantium, à capillis nudum quidem cernebatur; in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam.*

IN PIO.

Ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur. Tempore Pii statutum, ut Pascha semper die Dominico celebraretur. Hoc tribuitur Pio, can. *Nosse. de consecr.* dist. 3. Tempore Victoris Papæ vehemens orta est controversia de die Paschatis, Ecclesiis Asiæ diem Pascha celebrantibus 14. die Lunæ, exemplo Judæorum, cæteris Ecclesiis semper Pascha celebrantibus die Dominica, etiam si non incideret in eum diem: cujus dissidii causâ Victor Ecclesias Asiæ submovit à communione. Euseb. lib. 5. cap. 23. 24. Et à Victore decretum, ut Pascha semper celebraretur die Dominico, can. *Celebritatem. de consecr.* dist. 3. de quo Anastas. in Victore: *Hic constituit ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur.*

IN SOTERE.

Hic constituit ut nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia. Soteris decretum est, nè sanctimonialis sacra vasa, vel sacram pallam altaris contingat, vel incensum adoleat circa altaria, can. *Sacratas.* 23. dist. Idem decretum repetitum à Bonifacio I. ex Anastas. in ejus vita.

IN ZEPHERINO.

Hic constituit ut in præsentia omnium Clericorum, & laïcorum fidelium, sive Levita, sive Sacerdos ordinaretur. Zepherini decretum est, ut ordinationes Presbyterorum & Diaconorum fiant in præsentia Cleri & plebis, ut fiant consilio Cleri, assensu & testimonio plebis. Idem tribuitur Anacleto, can. *Reliqui.* 67. dist. Idem Conc. Carth. IV. can. 22. *Episcopus sine concilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & testimonium quærat.* can. *Episcopus.* 24. dist. In ordinandis Clericis hanc legem sibi imposuit Cyprianus epist. 33. ad Presbyteros & Diaconos:

De ordinationibus Clericorum, P. C. solemus vos antè consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Novati ordinationem, quòd Presbyter ordinatus esset reluctante Clero & plebe, nullam & irritam fuisse tradit Euseb. lib. 6. cap. 35. Ordinationem Osberni Presbyteri ad Ecclesiam de Tricheſtana in Anglia nullam esse intendebat Jordanus Prior Acreusiæ, quòd sine ipsius assensu, invitis & reclamantibus Parochianis, Ecclesiam ingressus esset. Jo. Sarisber. epist. 119. *Adversus Osbertum Presbyterum super Ecclesia de Tricheſtana, Jord. Prior Acreusiæ instituit controversiam, dicens eum præfatam Ecclesiam possidere, quam sine Prioris assensu, & alterius Advocati, citra solennem ordinem juris, & regni consuetudinem, invitis & reclamantibus Parochianis ingressus fuerat.*

Et sic missæ celebrarentur, excepto quòd jus Episcopi interesset, ut tantùm Clerus sustineret omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu Episcopi jam coronam consecratam, & acciperet Presbyter tradendam populo. Ex constitutione Zepherini, ubi Episcopus missam celebrabat, ipse coronam consecratam, id est, sacram Eucharistiam distribuebat Clericis, & reliquas partes tradebat Presbytero, per eum distribuendas plebi. Officium Presbyteri est tradere sacram Eucharistiam plebi. Presbyteri ruris in Ecclesia civitatis, præsente Episcopo vel Presbyteris ipsius urbis, non possunt offerre, id est, missam celebrare, nec Eucharistam dare, ex Conc. Neocæsar. can. 13. can. *Presbyteri.* 95. dist. Tamen etiam præsente Presbytero Diaconus, si necessitas urgeat, potest erogare Eucharistiam, ex Conc. Carth. IV. can. 38. can. *Præsente.* 93. dist. Et hæc fuit antiquior consuetudo Ecclesiæ. Cyprian. de Lapsis: *Ubi verò solennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, &c.* Idem Justin. Martyr Apolog. 2. Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ παρεστῶτων, μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι ἀποφέρουσι. *Præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus fausta acclamatione eam comprobavit, Diaconi distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum & aquam, & absentibus perferunt.*

IN CALIXTO.

HIC *constituit jejunium die sabati, frumenti, vini, & olei gratiâ.* Calixtus dicitur auctor jejunii sabati: tamen ex Apo-

ſtolica inſtitutione, & primæva Eccleſiæ conſuetudine, in memoriam Chriſti quieſcentis in ſepulcro, id repetendum eſſe verius eſt. Auguſtin. epiſt. 86. *Sequitur ſabbatum, quo die caro Chriſti in monumento requievit. Hinc exorta eſt iſta in regia illa urbe varietas, ut alii, ſicut maximè populi Orientis, propter requiem ſignificandam, mallent relaxare jejunium; alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, ſicut Romana & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ.* Ambroſ. in epiſt. ad Roman. cap. 14. *Namſunt quidem qui quartâ feriâ carnem non edendam ſtatuerunt, ſunt qui ſabatis, ſunt iterum qui à Paſcha uſque ad Pentecoſtem edant.* In jejunio ſabati variæ fuere conſuetudines Eccleſiarum: Romana Eccleſia jejunium ſabati ſervabat, Mediolanenſis Eccleſia contrà; & in hac re conſuetudines Eccleſiarum ſervandas eſſe, conſulto B. Ambroſio, ſcripſit Auguſtin. epiſt. 118. *Mater mea Mediolanum me conſecuta, invenit Eccleſiam ſabbato non jejunantem: cœperat perturbari, & fluctuari, quid ageret, cùm ego talia non curabam; ſed propter ipſam conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium. Reſpondit ſe nihil docere me poſſe, niſi quod ipſe faceret: quia ſi melius noſſet, id potiùs obſervaret. Cumque ego putaſſem, nulla reddita ratione, auctoritate ſola ſua nos voluiſſe admonere, ne ſabbato jejunaremus; ſubſecutus eſt, & ait mihi: Cùm Romam venio, jejuno ſabbato; cùm hîc ſum, non jejuno: ſic etiam tu ad quam fortè Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.* Jejunium ſabati etiam ab Innocentio I. comprobatum. Anaſtaſ. in Innocentio. *Hic conſtituit ſabbato jejunium celebrari, quia ſabbato Dominus in ſepulcro poſitus eſt, & diſcipuli ejus jejunaverunt.* De jejunio ſabati etiam Hieronym. apud Auguſtin. epiſt. 19. & Caſſian. de Inſtit. Cœnobitar. lib. 3. cap. 10. Socrat. lib. 5. cap. 21. Niceph. Calliſt. lib. 12. cap. 34.

IN URBANO.

HIC fecit miniſteria ſacrata omnia argentea. Miniſteria, id eſt, vaſa ſacra Eccleſiæ argentea eſſe, decretum ab Urbano. Singulare eſt quod narratur de Exuperio Toloſano Epiſcopo, eum ſacrificaſſe in vitro, id eſt, calice vitreo. Hieronym. ad Ruſticum: *Nihil illo ditius qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.* Eâ tamen ætate paſſim vaſa ſacra erant ex auro vel argento. Auguſtin. in Pſalm. 113. *Simulacra gentium argentum & aurum. Sedenim & nos pleraque inſtrumenta & vaſa ex hujuſce-*

modi materia vel metallo habemus, in usum celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur...

IN FABIANO.

HIC regiones divisit Diaconibus. Jam à Clemente urbs Roma, quæ divisa erat in quatuordecim regiones, redacta erat in septem, & singulis regionibus impositi notarii qui erant ex ordine lectorum, qui martyrum gesta exciperent: tum à Fabiano Diaconi divisi per septem regiones Urbis, ut martyribus in custodia alimoniam ministrarent, & eos docerent de his quæ pertinebant ad fidem. Hoc enim erat munus Diaconorum martyres in carcere visitare, eis alimenta erogare, & eos instruere. Cyprian. epist. 11. *Et crediderat quidem Presbyteros & Diaconos, qui illic præsentes sunt, monere nos & instruere pleniſſimè circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes, martyrum desideria consiliis suis & Scripturarum præceptis gubernarent.* Augustin. in Breviculi. Collat. *Et recitatum est à Donatistis Concilium ferme septuaginta Episcoporum contra Cæcilianum apud Carthaginem factum, ubi eum absentem damnaverunt, quòd ad eos venire noluerit tamquam à traditoribus ordinatus, & quia, cùm esset Diaconus, victum afferre martyribus in custodia constituris prohibuisse dicebatur.*

Et fecit septem Subdiaconos, qui septem notariis imminerent. Ut gesta martyrum in integro colligerent, Clemens instituit singulos notarios per septem regiones Urbis, qui martyrum gesta exciperent. Fabianus ne notarii sine teste essent, eis apposuit totidem Subdiaconos qui eis immanerent, id est, eos observarent, quò gesta martyrum in integro, id est, integra fide colligerentur. Hinc dicti Subdiaconi Regionarii. Anastas. in Vigilio. Imminere est aliquem observare. Gregor. lib. 8. epist. 29. *Ut fratri & Coepiscopo nostro Decio studeat imminere.* Q. Curt. lib. 6. *Sic ego imperio quod dedignor, immineo.* Ambros. de Offic. lib. 2. cap. 27. *Agens in rebus imminebat.*

IN CORNELIO.

CORPORA Apostolorum Petri & Pauli de Catacumbis levavit noctu. Legendum, *Catatumbas.* Hic est locus secundo ab Urbe milliario, ubi in cryptis condebantur corpora martyrum. De quo & Anastasius in Damaso: *Hic fecit basilicas duas, unam juxta Theatrum sancto*

Laurentio, & aliam viâ Ardeatinâ, ubi requieſcit in Catatumbis. Idem in Adriano: *Verùm etiam & Eccleſiam Apoſtolorum, foris portam Appiam milliario tertio, in loco qui appellatur Catatumbas, ubi corpus beati Sebaſtiani martyris cum aliis quieſcit.* Et Gregorius lib 3. epiſt. 3. *Ad ſecundum Urbis milliarium in loco qui dicitur Catatumbas.* Ubi dixi.

In Tellude noctu ante templum Palladis. Cornelius Pontifex Centumcellis ubi exulabat, per Præfectum Urbi Decio præſentatus noctu in Tellude ante templum Martyris. Malè vulgò in interludo.

Ego de corona Domini literas accepi. Cornelius interrogatus à Decio de literis acceptis contra Rempublicam, reſpondit ſe literas accepiſſe à corona Domini. Corona Domini eſt ordo Clericorum. Auctor Conſtitution. Apoſtolic. lib. 2. cap. 28. de Preſbyteris: ὡς συμβιβλοι τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ τῆς ἐκκλησίας στέφανος, εἰσὶ γὰρ συνέδριον, καὶ βάλη τῆ ἐκκλησίας. Imitatus Paulum, Philipp. 4. *Fratres mei cariſſimi, gaudium meum & corona mea, ſic ſtate in Domino.*

Tunc Decius iracundiâ plenus, juſſit os beati Cornelii cum plumbatis cædi. Plumbatæ genus flagelli plumbeis glandibus in capite inſtructi, quo cædebantur martyres, de quo Martyrolog. Rom. 6. Jun. & ibi Baron.

Cujus corpus noctu collegit beata Lucina cum Clericis, & ſepelivit in cryptâ. Tempore perſecutionis corpora martyrum noctu condebantur in cryptis. Hieronym. in Ezechiel. lib. 12. cap. 40. *Dum eßem Romæ puer, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum cæteris ejuſdem ætatis & propoſiti diebus Dominicis ſepulcra Apoſtolorum & martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoßæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum.* B. Laurentium ſepultum in crypta cum aliis multis martyribus refert Anaſtaſ. in Xiſto II. Ferreolus & Ferrucius ſepulti in crypta apud Veſontionem. Gregor. Tur. de Mirac. Martyr. cap. 71. *Hic in abdito cryptæ, duo, ut paſſio declarat, martyres Ferreolus atque Ferrucio ſunt ſepulti.*

Græci quoque condebant corpora in hypogæis, id eſt, locis ſubterraneis. Petron. in Satyric. *Hæc ergo cùm virum extuliſſet, non contenta vulgari more, funus paſſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam proſequuta eſt defunctum, poſitumque in hypogæo Græco more corpus cuſtodire, ac flere totis noctibus diebuſque cœpit.* Chriſtiani quoque fugientes martyrium latebant in cryptis. Anaſtaſ. in Caio: *Hic fugiens perſecutionem Diocletiani, in cryptis habitando, martyrio coronatur.*

IN LUCIO.

HIC poteſtatem dedit omnis Eccleſiæ Stephano Archidiacono ſuo. Lucius ad martyrium pergens Stephano Archidiacono ſuo dedit poteſtatem omnium rerum Eccleſiæ. Archidiaconus erat cuſtos & adminiſtrator rerum Eccleſiæ. Hinc in Archidiacono induſtriam requirit Hieronym. ad Evagrium: *Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Et eum imitatus Sidon. lib. 4. epiſt. 25. *Lector hic primùm, poſt laborum temporumque proceſſu Archidiaconus, in quo gradu ſeu miniſterio multùm retentus propter induſtriam.* Sic & Stephanus proximus ſucceſſor Lucii ante martyrium omnia vaſa Eccleſiæ & arcam pecuniæ Eccleſiaſticæ, Xiſto Archidiacono ſuo in poteſtatem dedit, de quo Anaſtaſ. in Stephano: *Omnia vaſa Eccleſiæ Archidiacono ſuo Xiſto in poteſtatem dedit & arcam pecuniæ.* Idem antè præſtitit Cornelius, de quo Anaſtaſ. *Iam ante paſſionem ſuam omnia bona Eccleſiæ tradidit Stephano Archidiacono ſuo.* Xiſtus II. Laurentium habuit Archidiaconum ſuum, & martyrii æmulum. Hinc ille Xiſto ad martyrium properanti, apud Ambroſ. 1. Offic. 41. *Quò, Sacerdos ſancte, ſine Diacono properas?*

IN STEPHANO.

HIC conſtituit Sacerdotes & Levitas veſtes ſacratas in uſu cotidiano non uti, niſi in Eccleſia tantùm. Ne Presbyteri & Diaconi ſacris veſtibus uterentur in uſu quotidiano, vetuit Stephanus. Eo nomine notantur Vandali, quòd de ſacris pallis & veſtibus veſtes ſibi facerent. Sigebert. ad ann. 451. *In Africa exardeſcentibus Wandalis, cùm ita divinos libros exurerent, & de ſacris palliis ac veſtibus veſtes ſibi facerent.* Proculum Miſſum Genſerici Regis Vandalorum arguit Victor Uticenſ. de Perſecut. Vandal. quòd de pallis altaris camiſias ſibi & femoralia faceret.

IN XISTO II.

ET poſt paſſionem beati Xiſti poſt tertia die paſſus eſt & beatus Laurentius ejus Archidiaconus. B. Laurentius fuit Archidiaconus Xiſti, quem ad martyrium properantem & ipſe ad martyrium anhelans his verbis affatus, quæ retulit Ambroſ. de Offic.

lib. 1. cap. 41. *Quò, Sacerdos sancte, sine Diacono properas? &c.* Voti compos sex pòst diebus martyrium passus est.

IN DIONYSIO.

HIC Presbyteris Ecclesias divisit, & cœmiteria, & Parochias, Diœceses instituit. Evaristus primus titulos, id est, Ecclesias in Urbe divisit, auctore ipso Anastasio; postea clade variarum persecutionum, & diutina vacatione Ecclesiarum perturbato statu Ecclesiarum, tandem à Gallieno reddita pace Ecclesiæ, rursus à Dionysio divisæ Parochiæ, aut verius restitutæ, primùm in Urbe, tum in Provinciis, ut patet ex integra epist. Dionysii ad Severum Cordubensem Episcopum, cujus pars extat in can. *Ecclesias.* 13. qu. 1. & in cap. *Pastoralis. de his quæ fiunt à Præs. sine cons. Cap.* de quo fusiùs dixi Diss. lib. 5. cap. 4.

IN FELICE.

HIC constituit supra sepulcra martyrum missas celebrari. Oratoria seu altaria extruebantur super sepulcra martyrum in eorum memoriam. Augustin. contra Faust. lib. 20. cap. 22. *Populus autem Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur; ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria, &c.* Et hæc dicebantur martyria. Synod. Chalced. can. 8. οἱ κλερικοὶ τῶν πτωχείων, καὶ μοναστηρίων, καὶ μαρτυρίων, ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τοῦ ἐν ἑκάστῃ πόλει ἐπισκόπων, διαμενέτωσαν. *Clerici prochotrophiorum, monasteriorum, & martyriorum sub potestate Episcoporum permaneant.* Pallad. Hist. Lausiac. cap. 103. de Innocentio Abbate: εἰσῆλθεν εἰς τὸ μαρτύριον ἑαυτοῦ ὁ ὠκοδόμησε αὐτὸς, ἐν ᾧ κατέκειτο λείψανα τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ. *Ingressus est in suum martyrium, quod ipse ædificarat, in quo sitæ sunt reliquiæ sancti Ioannis Baptistæ.* Hieronym. in vita Hilarionis: *Causam occultandi juxta præceptum Antonii fuisse referentes, ne Pergamius qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam Sancti corpore, martyrium fabricaretur.* Constitutione Theodosii permissum est, quo in loco Sanctorum aliquis est conditus, pro ejus veneratione martyrium, quod vocant, condere, L. 7. C. Th. *de sepulcr. violat.* Hinc Martyra-

rii dicti Presbyteri constituti in oratoriis martyrum, cultûs martyrum causâ. Conc. Aurelian. II. can. 13. *Abbates Martyrarii Reclusi vel Presbyteri, epistolia dare non præsumant.* Gregor. Tur. de Mirac. martyr. lib. 2. cap. 46. *Eo tempore cùm post obitum Proserii Martyrarii Urbanus Diaconus hujus basilicæ ordinatur ædituus.* Et quòd constitutione Felicis permissum est missas celebrari super sepulcris martyrum, intelligendum est de missis quæ celebrarentur in oratoriis extructis in memoriam martyrum, in quibus conditæ erant eorum reliquiæ, vel integra corpora.

IN EUTYCHIANO.

HIC constituit ut fruges super altare tantùm fabæ & uvæ benedicerentur. Instituti Apostolici fuit, ut novæ fruges & uvæ recentes super altare offerrentur velut primitiæ frugum, & à Sacerdotibus benedicerentur, neve mel aut lac vel aliud quicquam offeratur, præter uvas & fruges recentes, ex can. 3. Apost. Syn. Carth. can. 40. Syn. VI. in Trull. can. 28. 57. can. *Didicimus. de consecr.* dist. 1. & Constit. Apostol. lib. 8. cap. 46. Inde manavit ritus apud Græcos, ut fruges & uvæ recentes benedicantur à Patriarcha C P. in festo Assumptionis B. Mariæ, in sacra æde Blachernarum, teste Balsamon. ad d. can. 3. Apost. & apud Latinos, ut uvæ benedicantur in festo D. Sixti, Gloss. in d. can. *Didicimus.* Itaque Eutychianus non est dicendus auctor ejus instituti, sed potiùs instaurator. Ac valde probabilis est conjectura Baronii, hoc institutum repetitum ab Eutychiano, ut opponeretur errori Manichæorum, qui putabant vinum esse fel principum tenebrarum, & quibus vinum gustare sacrilegium erat, ut testatur Augustin. de Morib. Manichæor. cap. 16. Idem contra Faust. lib. 20. cap. 12.

Constituit ut quicumque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio purpurato, nulla ratione sepeliret. Eutychianus statuit ne martyr sine dalmatica vel colobio purpurato sepeliretur. Hoc constitutum est ad cultum martyrum, quia dalmatica erat vestis communis Episcoporum & Diaconorum. Augustin. Quæst. veter. Test. cap. 46. *Quasi non hodie Diaconi dalmaticis induantur sicut Episcopi.* Et Pontius Diaconus in vit. S. Cypriani apud Surium Sept. 14. *Et cùm se dalmaticâ expoliasset, & Diaconibus tradidisset, in linea stetit.* Pascasii Diaconi feretro ejus dalmatica impositâ statim claruit miraculis. Gregor. Dialog. lib. 4. cap. 40. *Hic itaque cùm temporibus*

temporibus Symmachi Apostolicæ Sedis Præsulis esset defunctus, ejus dalmaticam feretro superpositam, dæmoniacus tetigit, statimque sanatus est. Martyres sepulti cum dalmatica vel colobio purpureo. Colobium erat tunica sine manicis, instar dalmaticæ, habens plagulam purpuræ assutam, quod est signum militiæ Christi, Doroth. Doctrin. 1. ἔχεις δὲ τὸ κολόβιον ἡμῶν καὶ σημεῖον τι ποτὲ πορφυροῦν· τί θέλεις τὸ σημεῖον τὸ πορφυροῦν; ἵνα ὡς στρατιώτης τοῦ βασιλέως, πορφύραν ἔχει εἰς τὸ χλαμύδιον αὐτοῦ. *Habet & tunica signum purpureum: quid vult signum purpureum? unusquisque Regi militans habet purpuram in chlamyde sua.* Cucullas Tabennensibus Fratribus imposuit Pachomius Abbas, insignes signo crucis purpureæ. Pallad. Hist. Lausiac. cap. 38. τινὰς σταυρὸν διαπορφυρεῖν σκέλεσι τάπησιν. *Cucullas jussit eis imponi, habentes crucem purpuream.*

IN CAIO.

HIC constituit, ut ordinationes omnes in Ecclesia sic ascenderent, si quis Episcopus esse mereretur, ut esset Ostiarius, Lector, Exorcista, sequens Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur. Constitutione Caii ordinationes Episcoporum per saltum vetitæ: id est, ne quis ordinetur Episcopus, nisi priùs susceptis singulis ordinibus, can. *Illud.* 77. dist. Adeoque ex Constitutionibus Sylvestri, Zozimi & Syricii prohibetur, ne quis perveniat ad Episcopatum, nisi in singulis ordinibus per certa tempora immoratus sit, ex Anastasio in Sylvestro, Sigeberto ad ann. 387. can. *In singulis.* can. *Quicumque.* ead. dist. can. *Monachos.* 16. qu. 1. His gradibus Joannem perveniſſe ad Cabillonensem Episcopatum, testis est Sidon. lib. 4. epist. 25. *Lector hic primùm, sic minister altaris, idque ab infantia, post laborum temporumque processu Archidiaconus, in quo seu gradu seu ministerio multùm retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi: attamen hunc jam secundi ordinis Sacerdotem collegam sibi consecravere.* Hinc Cato Presbyter post Gallum electus ad Episcopatum Arvernensem, gloriabatur se per omnes gradus ad Episcopatum perveniſſe. Apud Gregor. Tur. lib. 4. Histor. Fr. cap. 6. *Nam & ipsos clericatus gradûs canonica sum semper institutione fortitus. Lector decem annis fui, Subdiaconatûs officium quinque annis, Diaconatûs verò quindecim annis mancipatus fui; Presbyterii autem jam honore viginti annis potior: quid enim mihi nunc restat, nisi ut Episcopatum, quem fidelis servitus promeretur, accipiam?* Hinc repen-

tinas ordinationes Episcoporum, quæ fiebant apud hæreticos, damnat Tertull. de Præscript. adv. hæretic. *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, nunc neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas vestros, ut gloriâ eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse, illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras laïcus: nam & laïcis sacerdotalia munera injungunt.*

IN MARCELLINO.

Et post hoc factum jacuerunt corpora sancta in platea, ad exemplum Christianorum; diebus triginta sex, ex jussu Diocletiani. Corpora martyrum insepulta jacuerunt in foro, ad exemplum Christianorum: id est, ut hoc spectacula Christiani moverentur ad defectionem, ex jussu Diocletiani, pœnæ ad exemplum. Anastas. in Theodoro: *Videns autem Isacius caput Mauritii, gavisus est, & fecit ad exemplum multorum in circo Ravennate in stipitem poni.* Eodem tempore in persecutione Maximiani corpora martyrum insepulta feris & alitibus exposita, & ne sepelirentur, custodes adhibiti. Euseb. lib. 8. cap. 19. Apud Græcos damnatorum corpora insepulta manebant. Q. Curt. lib. 8. cap. 2. *Iure interfectum Clytum Macedones decernunt, sepultura quoque prohibituri, ni Rex humari jussisset.* Apud Romanos idem moris fuit etiam in animadversione militum. Tacit. 1. Annal. *Corpora extra vallum abjecta ostentui.* Tamen constitutione Diocletiani damnatos sepulturæ tradi non vetatur, L. *Obnoxios.* C. *de Relig. & sumpt. fun.* Constantinopoli erat locus, cui nomen erat Polagium, destinatus sepulturæ damnatorum, cujus meminit Cedren. in Constantino Copronymo: τάφου κατάδικων. Et temporibus ipsis Decii corpora martyrum sepulturæ tradi vetitum non fuit; & penes copiatas seu laborantes, fuit cura sepulturæ corporum martyrum. Cyprian. epist. 3. *Et quod maximum est, corpora martyrum, aut cæterorum, si non sepeliantur, grande periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus.* Cloacas urbis cùm Tarquinius Priscus plebis operâ faceret, & tædio operis cives mortem sibi consciscerent, novo pœnæ genere eos compescuit à propria nece, defunctorum corpora figens crucibus spectanda civibus, simul & feris alitibusque laceranda. Plin. lib. 36. cap. 15.

IN MARCELLO.

DAMNATUS est in catabulum. Marcellus à Maxentio damnatus est in catabulum. Catabulum in urbe erat stabulum jumentorum, quæ usui erant ad vehenda onera publica. De quo Anastas. infr. tribus locis : *Cùm multis diebus serviret in catabulo.* Et paulò pòst : *Emerunt eum de catabulo.* Et rursus : *Et jussit in eadem Ecclesia iterum plancas exsterni, ut ibidem animalia catabuli congregatą starent.* Et Papias : *Catabulum, clausura animalium, ubi desuper aliquid jacitur.* Inde Catabulenses dicti, qui pœnæ causâ inserviebant catabulo. De quibus L. 9. C. Th. *de Pistorib. & Catabulens.* Et Cassiodor. 3. Var. 16. & lib. 4. epist. 47. Catabulum est equile regium, ad quod martyres damnari solebant. Euseb. lib. 8. cap. 22. ὅπως τὴ βασιλικῶν ἵππων ἐποχὴς φυλακῇσι καταδίκασον. *Regiorum equorum curæ obnoxios judicavit.* Cedren. in Nicephoro : δεσμῶν γενικῶν, καὶ ἀπελθὼν ἐν τῇ καταβολίῳ. Ineptè Platina cacabulum vocat. Cujac. 16. obs. 5.

IN EUSEBIO.

HIC hæreticos invenit in urbe Roma, quos verè ad manus impositionem reconciliavit. Reconciliatio publicorum pœnitentium, & conversorum hæreticorum, pertinet ad Episcopum, fitque per manuum impositionem, can. *In cap.* 50. dist. can. *Quamvis.* 68. dist. can. *Si jubet.* 26. qu. 6. Anastas. in Silvestro : *Et constituit ut Presbyterum Arrianum respiscentem non susciperet, nisi Episcopus loci designati.* Idem statutum à Siricio. Anastas. in ipsius vit. Sigebert. ad ann. 387.

IN MELCHIADE.

HIC fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. A Melchiade decretum ut fermentum, id est, panis fermentatus benedictus ab Episcopo vice eulogiæ mitteretur per Ecclesias in symbolum communionis. De quo Anastas. infr. in Siricio.

IN SYLVESTRO.

HIC in exilio fuit in montem Soractem. Sylvester latuit in monte Soracte, fugiens persecutionem Constantini. Soracte mons vicinus Urbi. Plin. lib. 2. cap. 93. *Et Soracte vicino Vrbi tra-*

cta. Idem libr. 7. cap. 1. *Haud procul urbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni ambulantes, non aduruntur.*

Hic fecit in urbe Roma Ecclesiam in prædio cujusdam Presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius, quem titulum Romanum constituit juxta Thermas Domitianas, qui usque in hodiernum diem appellatur titulus Equitii. Evaristus primus in Urbe divisit titulos, id est, Ecclesias parœciales Presbyteris. Excrescente multitudine fidelium, Marcellus 25. titulos in Urbe constituit. Reddita pace Ecclesiæ Pontifices per tempora auxere titulos Urbis. Sylvester constituit titulum Equitii, cui nomen ab Equitio Presbytero, in cujus fundo positus est.

Amas argenteas duas pensantes singulæ libras denas. Hamæ sunt vasa, è quibus acetum vel aqua funditur ad extinguenda incendia, L. 5. §. *Sciendum.* ff. *De offic. Præfect. vigil.* L. *Quæsitum.* §. *Acetum. de instruct. legat.* Plin. lib. 3. epist. 33. Amæ in usu Ecclesiastico, sunt vasa, è quibus vinum vel aqua funditur in calicem propter sacrificium missæ. Anastas. in Benedict. III. *Amam unam ex argento purissimo, pensantem libras decem.* Ordo Romanus: *Amas argenteas, cantatorium, & cætera vasa aurea & argentea.* Inde amulæ diminutivum. Anastas. in Gregor. III. *In oratorio amulas super auratas paria duo.* Idem in Adriano I. *Amulam offertoriam unam pensantem libras sexaginta & septem.* Hamarum & hamularum usum apertè indicat Ordo Romanus: *Amulæ argenteæ ad vina fundenda paratæ.*

Patenam argenteam chrismalem auro clusam, pensantem libras quinque. Patena chrismatis, est patena in qua chrisma deponebatur, paratum ad ordinationes, vel baptismum. Auro clusa dicitur, quia includebatur aureâ thecâ custodiæ causâ. Patena est vas patens, in quo reponitur sacrum corpus Christi. Anastas. in Nicolao I. *Patenam ex auro purissimo misit Michael Imperator, cum diversis lapidibus pretiosis albis, prasinis & hyacinthinis.* Hinc patena calici adjungitur. Ditmarus lib. 6. *Et magnum calicem ex eodem metallo cum patena simul & fistula dedit.*

Phara coronata decem pensantes sing. libras octonas. Pharus est majus lychni seu candelabri vel lucernæ genus translatitiè à Pharo Alexandrina, quæ de nocte navigantibus adlucebat. Anastas. infr. hoc loco: *Pharum ex auro purissimo, item pharum cantharum ex auro purissimo ante altare, in quo ardet oleum nardicum pisticum.* Et rursus: *Pharum cantharum argenteum cum delphinis centum & viginti.* Idem

in Adriano : *Fecit & farum majorem in eadem beati Petri Ecclesia in typum crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas* 1365. Idem in Benedict. III. *Pharum cantharum argenteum sedentem in pedibus quatuor, in quo lucerna simul & cerei ponebantur juxta lectorium, miro opere fecit.* Leo Ostiensis Chronic. Cass. lib. 3. cap. 31. *Fecit & pharum cum* 12. *extrinsecus pertinentibus turribus sex, & triginta lampadibus ex ea pendentibus.* Walafridus Strabo Vit. S. Galli lib. 2. cap. 34. apud Sur. tom. 5. *Farum quæ ante altare sancti Galli pendebat, pro incendendis luminaribus.* Ait oleum è nardo pisticum, id est, fidele, pretiosum, ut Marci 14. ναρδου πιστικῆς. Hieronym. in Matth. lib. 4. cap. 26. *Nardum pisticum, hoc est, verum & absque dolo.* Interdum pharo jungitur cantharus, quod est genus vasis, cui superponitur pharus.

Canthara cyrostrata in gremio basilicæ argentea quinquaginta. Canthara cerostrata (sic enim legendum, vel simpliciter cerostrata) sunt vasa in quibus collocantur cerei vel lucernæ. Anastas. in Vigilio : *Cerostatas argenteas deauratas majores duas, quæ stant usque hodie ante corpus beati Petri Apostoli.* Anastas. in Honorio : *Fecit & cerostatas majores ex argento paria duo, quæ sunt ante corpus beati Petri Apostoli.* Idem in Leone III. *Fecit cerostatas majores versatiles anaglyphos ex argento purissimo.* In cantharis ardebat oleum, in pharis cerei & lucernæ. Bulenger. de Rom. Pontific. lib. 2. cap. 6. In cantharis etiam mittebatur thus suffitûs causâ. Anastas. in Benedict. III. *Cantharum interrasilem, in quas thus mittitur.*

Et chrisma ab Episcopo confici. Consecratio chrismatis est ordinis Episcopalis, ex Synodo Romana habita sub Sylvestro can. 4. Ea est vetita Presbyteris, & data solis Episcopis, quod probavit Syn. Carthag. II. can. 3. & Carthag. III. can. 86 can. *Si jubet.* & seq. 26. qu. 6. Hieronym. in Sophon. *Sacerdotes quoque qui dant baptismum, & ad Eucharistiam Domini imprecantur adventum, faciunt oleum chrismatis, manus imponunt, Catechumenos erudiunt, Levitas & alios constituunt Sacerdotes.* Frodoard. in Chronic. ad ann. 967. de Adalberone Laudunensi Episcopo : *Remis denique postea Kal. Aprilis, Episcopus est ordinatus, in sancto Palmarum die, exin Laudunum rediens, sacrum chrisma sacravit Ecclesiastico more, &c.*

Et privilegium Episcopis dedit, ut baptizatuum consignarent, propter hæreticam suasionem. Consignatio seu confirmatio baptizatorum est ordinis Episcopalis, & pertinet ad Episcopos tantùm, ex Synodo Romana habita sub Sylvestro. Quod comprobatum est can. *Presbyteris.* & seq. *de consecr.* dist. 4. can. *De his.* can. *Manus.*

can. *Novissimè.* & seqq. *de consecr.* dist. 5. Hieronym. ad Luciferianos: *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.*

Hic & hoc constituit, ut baptizatum liniret Presbyter chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitûs mortis. Chrismatio seu unctio baptizatorum, instituta à Sylvestro propter occasionem transitûs mortis, id est, propter frequentes casus qui contingebant, ut recèns baptizati obirent. De quo Vicecomes de Baptism. lib. 5. cap. 3.

Hic constituit ut nullus laïcus crimen laïco inferre audeat. Ex Synodo Romana habita sub Sylvestro can. 14. laïci non audiuntur testes vel accusatores adversus Episcopum, can. *Nullus.* 2. qu. qu. 7. can. *Testimonium.* 11. qu. 1. quia oppido multi infesti eis existunt, can. *Laïcos.* can. *Laïci.* 2. qu. 7.

Hic constituit ut Diaconi dalmatica uterentur in Ecclesia, & pallio linostino læva eorum tegeretur. Sylvestri institutum est, ut Diaconi Ecclesiæ Romanæ dalmaticis uterentur intra Ecclesiam. Cæteris interdictum est usu dalmaticæ, nisi ex privilegio, ut Arelatensibus, can. *Communis.* 23. dist. vel certis diebus, can. *De jejunio.* 76. dist. Dalmatica est tunica sine manicis, quæ est vestis Diaconorum. Augustin. Quæst. veter. Testam. cap. 46. *Quasi non hodie Diaconi dalmaticis induantur sicut Episcopi.* Et Ammian. lib. 24. *Pectoralem tuniculam sine manicis textam, Maras quidam nomine indutus est, ut appellant Christiani, Diaconus.* Dalmaticæ additur pallium linostinum in læva in ornatu Clericorum, quod est pallium lineum, alba, seu mappula, qua utebantur Diaconi Ecclesiæ Romanæ, can. *Diaconus.* can. *Illud.* 93. dist. Hoc est, orarium quod Diaconi gestant in sinistro humero, can. *Vnum orarium.* 25. dist.

Hic constituit ut nullus Clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante judicem cinctum causam diceret, nisi in Ecclesia. Ex Synodo Romana sub Sylvestro vetatur, ne quis Clericus causam dicat apud judicem cinctum, id est, civilem, can. *Nullus Clericus.* 11. qu. 1. Cincti judices sunt magistratus omnes qui habent imperium merum, qui habebant jus cinguli & gladii. Gregor. Nazianz. epist. 46. ad Africanum: κἂν τῷ ἀναμακτον ἄρχῃ ἀρχῶν, κἂν τῷ μετὰ ξίφους, καὶ πελαμῶνος. *Sive incruentum imperium gerat, sive cum gladio & cingulo.* Hinc cincti discinctis opponuntur,

id est, judices in actu positi, his qui magistratu defuncti sunt. Sidon. lib. 5. epist. 7. *Cinctus jura, discinctus privilegia.* Idem constituit Julius, de quo Anastas. in ejus vit. *Hic constitutum fecit, ut nullus Clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia.*

Hic constituit, ut sacrificium altaris, non in serico, atque in panno tincto celebraretur, nisi tantùm in linteo ex terreno lino procreato. Synodus Romana sub Sylvestro statuit, ne sacrificium missæ celebretur in panno serico vel tincto, sed in lineo tantùm, can. *Consulto. de consecr.* dist. 1. Vestis linea fuit insigne Sacerdotum. Jacobus Nazarenus lineo tantùm pallio usus est, de quo Matth. 14. *Fugit adolescens, relicta sindone, qua erat amictus.* Inde alba dicitur vestis sacra Clericorum. Paul. Diacon. de vit. P. Emeritens. cap. 6. *Quoniam igitur dominico die, dum in atrium cum multis filiis Ecclesiæ tenderet, ut mos est, Archidiaconus cum Clero in albis, &c.*

Subdiaconus annos quinque, custos martyrum annos quinque. Custos martyrum non erat nomen proprii gradus seu ordinis Ecclesiastici, sed officii Subdiaconorum. A Fabiano septem Subdiaconi in Urbe instituti, qui notariis totidem per septem regiones Urbis dispositis immiscerent, ut acta martyrum in integro, id est, ex fide conscriberentur, ut observatum est ex Anastasio in Fabiano. Horum officium etiam erat custodire martyres, his alimenta in carcere ministrare, corpora mortuorum sepelire, & cavere ne sepultorum corpora eriperentur. Vel custodes martyrum legebantur ex ordine Subdiaconorum, postquam Subdiaconatûs munere functi essent quinquennium; & horum munus erat in quinquennium, antequam progressus pateret ad Subdiaconatum.

Fastigium argenteum batutile. Basilica Constantiniana adornata fastigio argenteo. Templis paganorum adjici solebat fastigium, id est, culmen, ornatûs causâ. Arnob. lib. 1. adverss. gent. *Templa felibus, scarabeis, & buculis, sublimibus sunt elata fastigiis.* Æquè apud Christianos ædibus sacris fastigia imponi moris fuit. De basilica Constantiniana testatur Anastasius hoc loco, & infrà in Sixto III. *Fecit autem Valentinianus ex rogatu Sixti Episcopi fastigium argenteum in basilica Constantiniana, quod à Barbaris sublatum fuerat.* Fastigium hujus basilicæ fuit ex argento batutili, id est, conflatum ex argento ducto in laminas, quod fit percussione metalli, voce ducta à Latino *batuere*, quod sonat *percutere.* Plaut. in Casina: *Sculponeas quibus batuatur tibi os.* Tranquill. in Caligul. cap. 32. *Myrmillonem è ludo rudibus secum batuentem.* Et cap. 54. *Batuebat pugnatoriis armis.* Hoc sensu eadem voce usus est Anastas. infr.

hoc loco : *Altaria septem ex argento baxutili.* Ædes augustæ etiam fastigium habuere. Flor. lib. 4. cap. 2. *Omnes hon res unum in Principem congesti circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona, suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in cælo.* Ambros. in Psalm. 118. *Non stellat ut fastigia culminum, quæ bene tecta, atque munita sunt.*

Cum gemmis Alabandinis in oculis. Alabandinæ gemmæ sunt, quæ petuntur ex Alabanda urbe Cariæ, haud procul à Mæandro fl. Plin. lib. 37. cap. 2. *Alabandinas crystallos.* Idem cap. 7. ejusd. lib. *Alabandicos carbunculos.* Anastas. in Gregorio I V. *Alamandinas majores numero viginti.*

Ex argento dolatico. Argentum dolaticum est argentum dolatum vel dedolatum.

Cameram basilicæ ex auro trimme. Camera, id est, testudo basilicæ Constantinianæ, fuit laqueata ex auro Trimmæ, id est, ex auro ducto in bracteas. Eodem sensu hac voce usus est Anastas. hoc loco : *Fecit autem & cameram basilicæ ex Trimma auri fulgentem.* De quo Bulenger. de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 67.

Scyphum singularem ex metallo corallo ornatum, undique de gemmis prasinis & hyacinthinis auro intercluſum. Scyphus, quod est genus poculi, de gemmis auro intercluſus dicitur, quia gemmæ includuntur auro. Paulus in L. *Pediculis. §. 1. de aur. & argent. legat.* *Auro facto adnumerantur gemmæ auro incluſæ.* Hinc incluſores dicti aurifices, qui gemmas auro includunt. Hieronym. lib. 5. in Hierem. *Fabros autem & incluſores vel legis interpretes atque doctores debemus accipere, vel artifices incluſoreſque auri, atque gemmarum, quæ ars apud barbaras nationes pretioſiſſima est.* Augustin. de Mirabilib. sacr. Scriptur. lib. 2. cap. 29. *Militibus & fabris & incluſoribus.* Eodem sensu Anastas. infr. hoc loco dixit : *Candelabra aurichalca septem ex argento, intercluſa ſigillis Prophetarum.* Et suprà : *Patenam chriſmalem auro cluſam.* E contrario excluſores dicuntur, qui gemmas excludunt, id est, examinant vel probant argentum. Augustin. de spirit. & liter. cap. 11, *Unde & excluſores dicuntur quidam artifices argentarii. Hinc est & illud in Pſalmis : Et excludantur ii, qui probati sunt argento.* Idem in Psalm. 34. *Vnde dicuntur & in arte argentaria excluſores, id est, quadam confuſione maſſæ ad ſuæ formæ expreſſores.*

Metretæ tres ex argento puriſſimo, portantes ſingulæ medimnos decem. Metreta est mensura liquidorum, putà vini vel olei, continens medimnos decem. Medimnus capit modios sex. Me-

dimnæ

dimnæ mentio habetur Joann. cap. 2. ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι λιθιναὶ ἓξ κείμεναι κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο, ἢ τρεῖς. *Erant ibi hydriæ lapideæ sex positæ, secundùm purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas duas aut tres.* Quem ad usum à Constantino dicatæ sint hujusmodi metritæ, non alienum est credere eas datas, quibus contineretur oleum propter lucernas Ecclesiæ. Metretæ solebant offerri, quia erant in usu Ecclesiæ, ut infrà hoc loco: *Metretas argenteas duas pensantes libras* 200. Et infr. eod. *Metretum ex auro pensans libras centum quinquaginta portantem medimnos tres.*

Candelabra aurichalca septem ante altaria, cum ornatu suo ex argento, intercluſa ſigillis Prophetarum. Candelabra ex aurichalco solebant ornari sigillis, id est, signis Apostolorum, Prophetarum. Anastas. infr. hoc loco: *Fecit autem candelabra aurichalca in pedibus decem numero, quatuor concluſa cum ſigillis argenteis. Ceroſtrata aurochalca argento cluſa ſigillata quadraginta.* Sigilla sunt parvula signa. Gregor. Turon. de Mirac. Martyr. lib. 1. cap. 41. *Adoratis diis atque eorum ſigillis proſtratus.* Vestes etiam solebant intexi sigillis seu imagunculis, unde dicuntur vestes sigillatæ, L. 11. C. Th. *de ſcenic.* de quo plura dicemus infrà suo loco.

Thymiamateria duo ex auro puriſſimo. Constantinus obtulit thymiamateria duo, id est, thuribula ad thus adolendum ante altare. Thymiamaterium à Græco θυμιατήριον. Ejus usum ostendit Anastas. in Sergio: *Hic fecit thymiamaterium aureum majus, cum columnis & cooperculo, quod ſuſpendit ante imagines tres aureas beati Petri Apoſtoli, in quo inceniſum & odor ſuavitatis feſtis diebus, dum miſſarum ſolemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentiùs mittitur.* Thuris adolendi antiquissimus Ecclesiæ ritus commendatur Evagr. lib. 4. cap. 7. θυμιατήριον ἐξήτησατο, καὶ παῖδα ἐπὶ χρόνον ἐν ᾧ καθιερώκεισαν θεῷ θυμιάσοντα, ὃς ἐπὶ γῆς ἑαυτὸν ῥίψας, εὐχαῖς τε καὶ λιταῖς τὸν θεὸν ἱλεούμενος. *Thuribulum poſtulat, & toto choro, in quo ſimul conſtiterunt, thus adolens, ſe proſternit humi, precibus & orationibus Deum placaturus.*

Fontem ſanctum, ubi baptizatus eſt Auguſtus Conſtantinus ab eodem Epiſcopo Silveſtro. Cessante persecutione, baptisteria instituta in Ecclesiis, baptismi conferendi causâ. Fontes vocarunt, quòd ab initio baptismus ministrabatur in fontibus. Fons iste in quo baptizatus est Constantinus, fuit ex metallo, id est, marmore porphyretico, ut mox subjungitur: *Ipſum ſanctum fontem ex metallo porphyretico ex omni parte coopertum intrinſecus & foris, & deſuper, &*

quantum aqua continet ex argento purissimo. Metallum pro marmore accipitur hîc, ut & in L. *Item si fundi. §. Sed si hæc. ff. de usufruct.* L. 3. §. ult. *de reb. eor. qui sub tutel. vel cur. sunt.* Spartian. in Pescennio Nigro:

Nigrum nomen habet, nigrum formavimus ipsi,
Ut consentirent formâ metalla tibi.

Cassiod. 2. Var. 7. *Ornent aliquid saxa jacentia post ruinas, ita tamen ut metalla ipsa de locis publicis corruisse apud te manifesta ratione doceatur.*

Mixum verò ex stuppa Amianti. Mixum est ellychnium lucernæ. Anastasius in Hilaro: *Lucernam auream cum myxis luminum decem.* Vulgò *mesche*, veteribus ellychnium. Plin. lib. 23. cap. 4. *Ellychnia ex uva, sunt claritatis præcipuæ.*

In labro fontis baptisterii, agnum ex auro purissimo fundentem aquam. In labro fontis baptisterii Constantiniani erat agnus aureus, ex ore fundens aquam destinatam baptismo infantium. Labrum est vasis genus, in quo infantes lavari solent, quasi lavabrum. Isidor. Origin. lib. 20. cap. 6. Hîc labrum fontis baptismalis est concha, qua continebatur aqua comparata ad baptismum, uti labrum porphyreticum alibi est vas marmoreum, in quo conditur corpus defuncti. Ambros. epist. 34. *Est hic porphyreticum labrum pulcherrimum, & in usus hujusmodi aptissimum: nam & Maximianus Diocletiani socius ita humatus est.* Et Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib. 2. cap. 9. *Otho II. Romam rediens eodem tempore defunctus est, atque in labro porphyretico sepultus in atrio Ecclesiæ beati Petri Apostoli, introeuntibus in Ecclesiæ ipsius paradisum ad lævam.* Labra sunt & lavacra, in quibus lavantur lintea, L. *Lines. ff. de act. comp.* Alibi labra sunt margines agrorum. Servius in Virgil. eclog. 5. *Vitis agrestis, quia in terræ marginibus nascitur, labrusca dicitur à labris & extremitatibus agrorum.*

Patenam ex auro purissimo unam cum turre & columba. Constantinus patenam auream obtulit cum turre & columba in custodiam sacri corporis Christi. Sacra Eucharistia custodiæ causâ locari solebat in turricula aurea vel argentea, cui incubabat columba aurea vel argentea. Præter hunc locum, Anastasius in Innocent. I. *Turrem argenteam cum patena & columba deaurata, pensant. libras triginta.* Idem in Hilario: *Turrem argenteam cum delphinis, pensantem libras sexaginta, columbam auream pensantem libras duas.* Gregor. Turon. de Mirac. Martyr. lib. 1. cap. 72. *Alius autem super sepulcrum sanctum calcare non metuens, dum columbam auream quærit elidere.* Tur-

rem ex auro conflatam à Felice Bituricensi Episcopo, Eucharistiæ servandæ causâ, carmine celebravit Fortunatus lib. 3. cap. 23. Ejusdem turris meminit Greg. Turon. de Mirac. Mart. lib. 1. cap. 86. *Acceptaque turre Diaconus, in qua ministerium dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium.* Super turricula in qua custodiebatur corpus Christi, pendebat columba aurea, signum Spiritus sancti. Et hoc est quod intelligit Joannes Chrysostom. Homil. 31. ad plebem Antiochen. cùm ait corpus dominicum reponi super altare non fasciis involutum, ut olim cùm esset in cunis, sed Spiritu sancto convestitum.

Eodem tempore fecit basilicam sanctæ Martyris Agnetis ex rogatu Constantiæ filiæ suæ, & baptisterium in eodem loco. Baptisterium erat in limine Ecclesiæ. Greg. Turon. de Mirac. D. Martin. lib. 2. cap. 6. *Venit ad sanctam basilicam, qui diebus multis jacens ad ostium illud, quod secus baptisterium ad medium diem pandit egressum.*

Coronam auream ante corpus, ubi est pharocantharus cum delphinis quinquaginta. Constantinus coronam auream obtulit ante corpus B. Petri. Coronæ pendebant ante altare & sepulcrum B. Petri. Anastas. in Sergio: *Cantharos & coronas quæ ante sacrum altare & confessionem beati Petri Apostoli ex antiquo pendebant, deponi fecit.* Coronæ aureæ solebant offerri Deo, quia Christus solus regnat, solus imperat. Imperatores ipsi solebant dicare coronam suam. Infeliciter periit non sine vindicta numinis Leo Copronymi filius, quòd coronam Heraclii in magno templo dicatam abstulit, & publicè gestavit, de quo Cedren. in ejus Vita. Coronæ etiam dicabantur in honorem Martyrum. Augustin. epist. 205. *Sertum verò illud quod plus illo foro, corona martyrii est, quo vitam finivi corporis.* Et infrà: *Quia gladio vitam non finivit, aureolam, quæ in signum datur martyrii, talis non habet.* Paulin. de Vita D. Martin. lib. 6.

Abripuit sanctam dextra vellente coronam,
Quæ meritum Sancti propter conjuncta decebat.

Supra arenarium cryptæ. Arenarium est cœmeterium ubi sepeliebantur martyres, quia plerumque erat in locis arenosis. Innocent. III. lib. 2. epist. 140. *Ecclesiam sancti Juliani cum domibus, cellis, cryptis, vineis, & arenariis suis.* Et Anastas. ipse in Theodor. *Eodem tempore revelata sunt corpora sanctorum Martyrum Primi & Feliciani, quæ erant in arenario sepulta viâ Numentanâ.* Alibi cœmeteria dicuntur areæ sepulturæ. Tertull. ad Scapulam: *Sicut & sub Hilariano Præside, cùm de areis sepulturarum nostrarum adclamassent, areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt.*

In quo loco construxit absidam, & exornavit marmoribus porphyreticis. Constantinus condidit basilicam S. Laurentii Martyris in urbe, & in ea posuit corpus Martyris, in crypta, super qua construxit absidam ornatam marmoribus porphyreticis. Absis vel absida est ædificium quod imponi solebat sepulcris Martyrum in modum absidis. Anastas. in Honorio de Ecclesia B. Agnetis Martyris: *Fecit absidam ejusdem basilicæ ex musivo.* Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib. 3. cap. 27. *Legatos præterea Constantinopolim ad conducendos musæi & quadratarii operis peritos opifices mittit, ut alii absidam, & arcum atque vestibulum majoris Ecclesiæ musivo componerent.* Absis erat structura marmoribus adornata, in medio basilicæ, in qua erat sedes Episcopi. Anastas. in Benedict. III. *Et impetu facto, absidam in qua Episcopi psallentes residebant cum Clero, leones veluti ferocissimi conscenderunt.* Plerumque absis erat marmorata, id est, crustis marmoreis convestita, & erat camerata, id est, fornicata. Paulin. epist. 11. ad Severum: *Absidem solo & parietibus marmoratam, camera musivo illusa clarificat.* Cassian. collat. 24. cap. 6. *Si quis absidis cameram volens in sublime concludere, subtilissimi illius centri lineam jugiter circumducat.* Absis erat eminentior, & gradibus conscendebatur. Augustin. epist. 203. *Transit honor hujus sæculi, transit ambitio; in futuro Christi judicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, &c.* Leo Ostiens. l. 1. Chronic. Cassin. c. 19. *Porro in ejus basilicæ absida media ad quam per octo gradus ascenditur, altare constituit in honorem Domini Salvatoris.* Sepulcris Sanctorum, inquam, solebat imponi culmen in modum absidis. Sepulcro Gregorii Lingonens. Episcopi absidam imposuit Tetricus, filius ejus & successor. Greg. Turon. de Vit. Patr. cap. 7. *Cùm beatus Pontifex in angulo basilicæ fuisset sepultus, sanctus Tetricus, filius & successor ejus, ante altare basilicæ fundamenta fecit, erectaque absida miro opere construxit & transvolvit, quâ transvolutâ, disruptoque pariete, arcum ædificavit, quod opus perfectum atque exornatum, ut in medio absidæ loculum fodit, quo corpus beati Patris transferre volens, convocat Presbyteros & Abbates ad illud officium, &c.* Absis erat cancellis septa; & hoc est quod ait mox Anastasius: *Et cancellos ex argento purissimo ornavit.* Sepulcra Martyrum solebant cancellis ambiri. Augustin. de Civit. Dei lib. 22. cap. 8. *Venit & Pascha, atque ipso die dominico mane, cùm jam frequens populus præsens esset, & loci sancti cancellos, ubi martyrium erat, idem juvenis orans teneret.* Gregor. Turon. de Mirac. Martyr. lib. 1. cap. 28. *Hoc enim sepulcrum sub altari collocatum, valde rarum habetur; sed qui orare desiderat, reseratis cancellis quibus locus ille ambitur, accedit super sepulcrum.*

Et ante ipsum locum in crypta posuit lucernam ex auro purissimo, myxorum decem. Constantinus ante sepulcrum B. Laurentii Martyris posuit lucernam auream. Lucernæ & lychni ardere solebant ante sepulcra Martyrum & sanctorum Confessorum. Ante sepulcrum B. Thomæ Apostoli apud Edessam Syriæ arsisse traditur lychnus perpetuùm, sine fomento olei syrpique: de quo Greg. Turon. de Miracul. Martyr. lib. 1. cap. 32. *Lychnus etenim inibi positus atque inluminatus, ante locum sepulturæ ipsius, perpetualiter die noctuque, divino nutu resplendet, à nullo fomento olei scirpique accipiens, &c.* Ante sepulcrum Felicis Nolani Martyris pendebat lychnus, de quo idem Tur. cap. 104. ejusd. libr. *Ad hujus quoque cellulæ parietem, quo beatum corpus tumulo conditum requiescit, adhæret adpendens porticus, in qua dependens fune lychnus, lumen loco consueverat ministrare.* Ante corpus B. Laurentii Martyris bis senas lucernas argenteas obtulit etiam Constantinus, de quo Anastas. infrà hoc loco: *Ante corpus beati Laurentii Martyris, argento clusam passionem ipsius sigillis ornatam cum lucernis bymixis* (sic lege pro *hyssinis*) *argenteis.* Lucerna bymixos est quæ habet duo myxa, *deux mesches.* Anastas. in Leone III. *Fecit lucernas majores fusiles bymixas anaglyphas duas.*

In eodem loco possessio cujusdam Syriacetis religiosæ feminæ, quam fiscus occupaverat tempore persecutionis. Martyrum bona fisco addicebantur. Hieronym. de Scriptor. Ecclesiastic. cap. 54. *Origenes qui & Adamantius, decimo Severi Pertinacis anno, adversus Christianos persecutione commota, Leonide patre Christi martyrio coronato, cum sex fratribus & matre vidua paupere relinquitur: rem enim familiarem ob confessionem Christi fiscus occupaverat.*

Eisdem temporibus Augustus Constantinus fecit basilicam beatissimis Martyribus Marcellino Presbytero, & Petro Exorcistæ, inter duas Lauros, & mausoleum ubi beatissima mater ipsius sepulta est Helena Augusta in sarcophago porphyretico, viâ Lavicanâ, milliario ab urbe Roma tertio. Inter duas Lauros, id nomen loco posito viâ Lavicanâ, tertio ab Urbe milliario, juxta quem Constantinus extruxit basilicam SS. Marcellini & Petri. Ibi Severum obsessum ab his qui erant partium, Cassii, Nigri & Albini, refert Tertull. Apologetic. cap. 35. *Vnde Cassii & Nigri & Albini, unde qui inter duas Lauros obsident Cæsarem, unde qui faucibus ejus exprimendis palæstricam ejus exercent, undè qui armati palatium irrumpunt.*

Calices ministeriales argenteos viginti, pensantes singulos libras tres. Calices alii erant minores, qui erant comparati ad ministerium sacrificii altaris, unde ministeriales dicti, ut hîc & infrà: *Calices*

ministeriales decem pensales sing. libras tres. Et infrà : *Calices ministeriales 15. pensantes singuli libras duas.* Idem in Marco : *Calices ministeriales argenteos tres, pensantes libras binas.* Idem in Damaso : *Calices ministeriales argenteos quinque pensantes singulos libras tres.* Calices cum siphone erant calices cum fistula ad ministrandum sanguinem Christi. Conrad. in Chronic. Moguntin. *Erant fistulæ quinque ad communicandum argenteæ deauratæ.* Ditmarus lib. 6. *Et magnum calicem ex eodem metallo, cum patena simul & fistula dedit.* Alii erant majores calices, qui ornatûs causâ pendebant in arcubus vel trabibus. Anastas. in Leone III. *Fecit in basilica beati Pauli Apostoli calices majores fundatos ex argento, qui pendent in arcu majore, numero undecim, & alios qui pendent inter columnas majores, dextra lævaque numero quadraginta.* Et infr. in eod. *Fecit autem in basilica beati Petri Apostoli calices majores ex argento mundissimo, qui sedent super trabes arg.* Et infrà : *Fecit verò calices fundatos ex argento, qui pendent inter columnas majores dextra lævaque basilicæ, numero sexaginta quatuor.* Neque omittendum quòd calices, quorum usus erat ad communicandum, dicebantur communicales. *Fecit verò communicales ex argento purissimo per singulas regiones, qui præcederent per stationes per manus Acolythorum.* Alii erant calices, qui ornatûs causâ ponebantur circa altare. Anastas. in Leone IV. *Obtulit etiam B. Petro Apostolo calices de argento, qui sedent super circuitu altaris, numo, 16. pensantes libras.* Vel ministeria. Anastas. in Adrian. I. *Item fecit patenam & calicem in basilica beati Petri Apostoli pro quotidianis ministeriis ex auro purissimo.* Alii erant majores cum ansis ad ornatum, de quibus Anastas. in Leone III. *Et calicem majorem cum gemmis & ansis duabus, pensantem libras quinquaginta octo, &c.* Idem in eodem: *Obtulit calicem majorem fundatum cum syphone, pensantem libras triginta & septem.*

Insulam Sardiniam cum possessionibus omnibus ad eandem pertinentibus. Constantinus Sardiniam insulam obtulit basilicæ SS. Marcellini & Petri à se conditæ in dotem Ecclesiæ. Inde Sardinia insula fuit juris & proprietatis Ecclesiæ Romanæ, de quò in cap. *Si diligenti. de præscript.* & cap. *Ea te. de jurejur.* ubi dixi.

Patenam argenteam chrismalem singularem, pensantem libras decem. Patena chrismalis est vas in quo servatur chrisma, comparatum ad chrismationem seu unctionem baptizatorum. Chrismarium vocant. Synod. Altissiodor. can. 6. *Presbyteri chrisma petant, sed cum chrismario & linteo, sicut reliquiæ Sanctorum deportari solent.* Patenas ad chrisma vocat Anastas. in Innocentio: *Patenas duas ad chrisma pen-*

santes singulas libras quatuor. Ampullam chrismatis Optat. Milevit. adverſ. Donatiſt. lib. 2. *Ampullam quoque chriſmatis per feneſtram ut frangeretur, jactaverunt.*

Pelvim ex argento ad baptiſmum. Pelvis ad baptiſmum eſt hydria, quâ continebatur aqua benedicta ad baptiſmum.

Calicem argenteum anaglyphum. Calix anaglyphus eſt cælatus, id eſt, ſignis ſeu ſigillis inſculptus. Vaſa anaglypha ſunt vaſa cælata, ſignis ſeu ſigillis inſculpta. Anaſtaſ. in Adrian. *Crucem interraſilem anaglypham.* Idem in Innocentio: *Scyphum argenteum anaglyphatum.* Idem in Leone III. *Necnon & crucem anaglypham interraſilem ex auro puriſſimo, pendentem in pergula ante altare.* Pergula erat exedra ante altare, in qua exponebantur ſacra donaria. Vide Cujac. 11. obſ. 13.

Fecit autem formam aquæductus per miliaria octo. Formæ ſunt canales ſtructiles, per quos aqua ducitur, ut hîc & L. 1. 8. 9. C. Th. *de aquæduct.* ut forma Auguſta, forma Claudia, d. L. 8. & 9. forma ſabathena, de qua Anaſtaſ. infr. in Honorio, & in Adrian. I. & in Gregor. IV. forma Trajani, Anaſtaſio in Felice. Formas Urbis inter ſpectanda ipſius opera celebrat Sidon. lib. 1. epiſt. 5. *Inter hæc patuit & Roma conſpectui, cujus mihi non ſolùm formas, verùm etiam naumachias videbar epotaturus.*

IN MARCO.

HIC conſtituit ut Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopum Vrbis, pallio uteretur, & ab eodem Epiſcopus urbis Romæ conſecraretur. Pallium quod eſt plenitudinis pontificalis officii inſigne, de jure confertur tantùm Archiepiſcopis, can. 1. & ſeqq. 100. diſt. cap. 4. *de elect.* Verùm ex ſpeciali gratia, etiam Epiſcopis quibuſdam indultum fuit, à ſummis Pontificibus, ut à Marco Epiſcopo Oſtienſi, propter conſecrationem ſummi Pontificis quam habet ex antiqua conſuetudine. Siagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi à Gregorio, de quo ipſe lib. 7. epiſt. 5. & aliis: unde manavit conſuetudo ut Oſtienſis conſeeret ſummum Pontificem, ut refert Robert. Abbas in Suppl. Sigeberti ad ann. 1180. *Oſtienſis Epiſcopus ex antiqua conſuetudine ordinat & ſacrat Pontificem Romanum, quæ conſuetudo exinde accidit, quòd martyriſato beato Sixto & ſancto Laurentio ejus Diacono, beatus Juſtinus Presbyter cum Clero Romano, elegit Dionyſium in Pontificem Romanum, quem ſacravit Maximus Oſtienſis Epiſcopus: ex hac conſuetudine exinde Oſtienſis*

Episcopus ordinat & sacrat Romanum Pontificem, & habet pallium solummodo ad ea quæ pertinent in ordinatione & consecratione Romani Pontificis. Ejusdem ritus meminit Augustin. in Brevic. collat. diei 3. cap. 16. *Rom. Pontifex solet ordinari à tribus Episcopis, quorum primus est Ostiensis.* Anastas. in Joanne V. *Hic consecratus est à tribus Episcopis, Ostiensi, Portuensi, Veliternensi, sicuti prædecessor ejus Leo Papa.*

Hic fecit duas basilicas, unam viâ Ardeatinâ, ubi requiescit, & aliam in urbe Roma, juxta Pallacinis. Tuenda est vulgaris lectio, malè Baronius legit *Palatinas.* Pallacenis fuit nomen cloacæ Urbis, quæ est juxta monasterium S. Laurentii Martyris, cujus meminit Anastas. infr. in Nicolao I. *Inde cœpit decurrere in cloacam, quæ est juxta monasterium sancti Laurentii Martyris, quæ vocatur Pallacini.* Idem in Leone III. *Et in monasterio beati Laurentii Martyris, qui appellatur Pallacini.* Idem in Benedicto III. *Inde autem Tyberis impetum faciens cœpit decurrere in cloacam, quæ est juxta monasterium sancti Sylvestri & sancti Laurentii Martyris, quod vocatur Pallacini.* Idem in Gregorio IV. *Fecit etiam in monasterio beatissimi Martyris Christi Laurentii, quod dicitur Pallacinis, canistra de argento sex.* Eadem Palacenis dicta à Gregorio lib. 5. epist. 44. *Tabernam in hac Urbe, quæ est posita juxta Palacenis.*

IN JULIO.

ET notitia quæ omnibus pro fide ecclesiastica est, per omnia colligeretur, & omnia monumenta in Ecclesiam per Primicerium Notariorum confecta celebrarentur, sive causationes, vel instrumenta, aut donationes vel commutationes, vel traditiones, aut testamenta, vel allegationes. Sæviente persecutione officium Notariorum in Urbe erat, gesta Martyrum colligere, cessante persecutione, ne sine actu essent: eis tributum munus curandi notitiam rerum ecclesiasticarum, id est, conficiendi omnia acta ecclesiastica, quæ confecta referebantur ad Primicerium Notariorum qui erat primus è septem, & dicebatur Primicerius Notariorum, ut Primicerius dicitur Præfectus minorum Clericorum, can. *Perlectis.* vers. *Ad Primicerium.* dist. 25. Ad Primicerium Notariorum, inquam, referebantur omnia acta ecclesiastica, putà causationes, id est, instrumenta quæ pertinent ad causas seu judicia ecclesiastica, donationes, commutationes, traditiones, ex causa scilicet acquirendi dominii, putà emptiones, venditiones, testamenta vel delegationes: sic enim existimo legendum pro *allegationes.* Delegata sunt

legata

legata vel quælibet noviſſimæ voluntatis judicia. Anaſtaſ. in Innocent. I. *In quo loco beatiſſimus Innocentius ex delegatione illuſtris feminæ Veſtinæ, titulum Romanum conſtituit.* Auguſtin. de Tempor. ſerm. 76. *Cæterùm diſpendium magnum eſt, cum tibi Dominus ad hoc dederit ut diſpenſes, ejus delegata non ſerves.* Optat. Milevit. adverſ. Donatiſt. lib. 1. *Brevis auri & argenti ſedenti Cæciliano, ſicut delegatum à Menſurio fuerat, traditur, adhibitis teſtibus.*

Aut manumiſſiones Clerici in Eccleſia per Scriniarium ſanctæ Sedis celebrarent. Julius ſtatuiſſe memoratur, ut manumiſſiones in Eccleſia fierent apud Scriniarium Sedis Apoſtolicæ: ſed verius eſt ex Conſtitutione Conſtantini hoc introductum ut manumiſſiones fierent in Eccleſia, L. 1. C. *de his qui in Eccleſ. manumitt.* cujus meminit Sozom. lib. 3. cap. 9. Manumiſſiones fiebant in Eccleſia apud Epiſcopum, & apud geſta Eccleſiæ inſinuabantur, quo tutius eſſet libertatis beneficium: Auguſtin. ſerm. 2. de vit. com. Cleric. *Tamen de laboribus ſuis, antequam eſſet Clericus, emerat aliquos ſervulos, hodie illos in conſpectu veſtro manumiſſurus eſt epiſcopalibus geſtis.* Manumiſſiones in Urbe fiebant in Eccleſia apud Scriniarium Sedis Apoſtolicæ, quia referebantur in ſcrinium, id eſt, archivum Eccleſiæ, cujus cuſtodia eſt penes Scriniarium Sedis Apoſtolicæ, cap. *Ad audientiam. de præſcript.*

IN LIBERIO.

TUNC miſſa auctoritate per Catulinum Agentem in rebus, ſimul Urſatius & Valens venerunt ad Liberium. Per Agentes in rebus perferebantur literæ & mandata Imperatoris, & qui erant evocandi in Comitatum Principis, per eos evocabantur. Ambroſ. de Offic. lib. 2. cap. 27. *Legebatur reſcripti forma, directio Magiſtri officiorum ſtatuta, Agens in rebus imminebat.* Et Symmach. lib. 7. epiſt. 59. *Sacras mihi literas Julius Agens in rebus exhibuit.*

Et perſecutio magna fuit in Urbe Roma, ita ut Clerici & Sacerdotes, neque in Eccleſias, neque in balnea haberent introitum. In Clericos perſecutionis genus ſub Conſtantio, interdictio Eccleſiarum & balneorum. Chriſtiani etiam meliorum temporum utebantur balneis, non deliciarum, ſed valetudinis causâ. Tertull. Apolog. cap. 41. *Lavor honeſta hora & ſalubri.* Joannes Apoſtolus ipſe non abſtinuit balneo, verùm aliquando balneum lavandi causâ ingrediens, cùm audiiſſet Cherintum intus eſſe, ſtatim foras ſe proripuit, ne lavaret cum hæretico, de quo Euſeb. lib. 3. cap. 22.

lib. 4. cap. 13. Epiphan. in Panar. hæres. 30. art. 24. Post mortem matris, mœroris levandi causâ, balneo se usum, de se testis est Augustin. Confess. lib. 9. cap. 12. *Visum etiam mihi est ut irem lavatum, quod audieram inde balneis nomen inditum, quia Græci βαλανεῖον dixerint, quod anxietatem pellat ex animo.*

Hic Liberius ornavit de platinis marmoreis vetus sepulcrum sanctæ Agnetis Martyris. Sepulcra Martyrum & majorum ornari solebant crustis marmoreis. Unde memoriæ marmoratæ sæpiùs memorantur. Augustin. in Psalm. 33. & 48. Platinæ sunt tabulæ marmoreæ. Platonias vocat Anastas. in Damaso: *Ædificavit platoniam, ubi corpora Apostolorum jacuerunt, id est, beati Petri & Pauli, quam & versibus ornavit.* Idem in Sixto III. *Cancellos argenteos supra platonias porphireticas, pensantes libras trecentas.* Et infr. eod. *Hic fecit platoniam in cœmiterio Calixti, viâ Appiâ, ubi nomina Episcoporum & Martyrum scripsit cum memoriis.* Idem in Leone III. *Super lilios ex metallis marmoreis platonias posuit.* Utrumque à Græco πλατύνω, dilato, extendo. Cassiodor. 3. Variar. epist. 9. *Supra memoratas platonias, vel columnas.*

IN DAMASO.

HIC constituit ut Psalmos diu noctuque canerent per omnes Ecclesias, qui hoc præcepit Presbyteris & Episcopis vel Monasteriis, Idem de Damaso Sigebert. in Chronic. ad ann. 382. Falsò Damaso tribuitur institutum de canendis Psalmis diu noctuque in Ecclesiis, quia hoc institutum erat à primordiis surgentis Ecclesiæ. Sed Damaso acceptum ferri potest Psalterium, quod secundùm LXX. Interpretes in omnibus Ecclesiis canebatur ab Hieronymo emendatum, à Damaso canendum Gallicanis Ecclesiis traditum. Unde Gallicanum dictum est, à Romanis retento Psalterio secundùm LXX. Interpretes. Unde Romanum dictum est. & hoc est quod ait Sigebertus loco maximè laudato: *Hoc Psalterium Damasus Papa rogatu Hieronymi, in Gallicanis Ecclesiis cantari instituit, & propter hoc Gallicanum vocatur, Romanis Psalterium secundùm LXX. retinentibus sibi, propter quod Romanum vocatur.*

IN SIRICIO.

HIC constitutum fecit de omni Ecclesia, vel contra hæreses, & dispersit per universum mundum, ut in omnis Ecclesiæ archivio teneantur, ob impugnationem contra omnes hæreses. Constitutiones Pontificias contra hæreticos in archivum omnium Ecclesiarum referri, à Siricio statutum, ut omnibus notæ essent. Constitutiones & epistolæ Pontificiæ servantur in archivo Ecclesiæ Romanæ. Hieron. adv. Rufinum lib. 2. *Si à me fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romanæ Ecclesiæ chartario non requiris?* Anastas. in Cælestino: *Hic fecit constitutum de omni Ecclesia, quod hodie archivio Ecclesiæ tenetur reconditum.* Idem in Leone: *Iterum multas epistolas fidei misit beatissimus Leo Archiepiscopus, quæ hodie reconditæ in archivo tenentur.* Gelasii libri adversus Eutychem & Nestorium in archivo Ecclesiæ custodiæ causâ repositi. Anastas. in ejus Vita: *Hic fecit & libros adversus Eutychem & Nestorium, qui hodie in bibliotheca & Ecclesiæ archivo reconditi tenentur.* Chirographum, id est, sententiam anathematis dictam contra Dioscorum Schismaticum in archivo Ecclesiæ reposuit Bonifacius I I. de quo Anastas. in ejus Vita: *Quem chirographum archivo Ecclesiæ recluſit, quasi damnans Dioscorum.* Synodus Romana habita per Martinum in archivo Ecclesiæ posita. Anastas. in Martino: *Quæ Synodus hodie archivo Ecclesiæ continetur.* Idem in Joanne V. *Quorum chirographus archivo Ecclesiæ detentus est.*

Hic constituit ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. Syricii decretum est, ne quis Presbyter Missam celebraret, priusquàm ab Episcopo suscepisset fermentum, id est, panem fermentatum benedictum; & hoc est fermentum quod ex instituto Melchiadis mitti solebat ab Episcopo per Ecclesias in symbolum communionis Ecclesiæ. Ejusdem ritus insigne vestigium extat apud Innocentium I. epist. ad Decentium: *De fermento verò quod die Dominica per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ vestræ intra Civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam, vobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à vestra communione maximè illa die non judicent separatos, quod per Parochias fieri debere non puto, quia nec longè portanda sunt Sacramenta, nec vos per cœmiteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, sed Presbyteri eo-*

rum conficiendorum jus habent atque licentiam. Olim in Orientali Ecclesia Eucharistia in festo Paschæ transmittebatur per alias Ecclesias, quod vetuit Synod. Laodicen. can. 14.

Hic constituit ut si quis conversus de Manichæis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaretur, nisi tantùm relegatione Monasterii diebus vitæ suæ teneretur obnoxius. Statutum Syricii ne Manichæi conversi recipiantur ad sacram communionem, nisi in vitæ exitu, & in Monasteria pœnitentiæ causâ detrudantur. Familiaris Clericorum fuit pœna, detrusio in Monasterium pœnitentiæ causâ, can. *Si Episcopus.* 50. dist. can. ult. 55. dist. can. *Si quis Clericus.* can. *Dictum.* 81. dist. can. *Clerici.* 23. qu. 8. Eâdem pœnâ usus est Innocent. I. in Cataphrygas, Anastas. in Innocent. *Et multos Cataphrygas in Vrbe invenit, quos exilio & Monasteriis relegavit.*

IN ANASTASIO.

HIC constituit ut quotiescumque sancta Evangelia recitantur, Sacerdotes non sederent, sed cernui starent. Anastasii decretum est, ut cùm legitur Evangelium, Clerici starent. Cùm legitur Evangelium, stamus, ut illo habitu corporis ad iter compositio significemus, nos esse paratos ad sequendum Deum ejusque fidem Evangelio testatam. Hunc morem fuisse Orientalis Ecclesiæ testis est Jo. Chrysost. de divers. utriusq. Test. loc. serm. de Circo. In Orientali Ecclesia, cùm Evangelium legeretur, cerei accendebantur. Hieronym. ad Vigilantium: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Idem servatum Romæ. Anastas. in Leone III. *Fecit lucernas fusiles duas ex argento purissimo, & hoc constituit, ut Dominicorum dies vel in sanctis solemnitatibus hinc inde juxta Lectorium consisterent, & ad legendum sacras lectiones luminis splendore resulgerent.*

Et hoc constituit nulla ratione transmarinum hominem in Clericatum honorem suscipi, nisi quinque Episcoporum designaret chirographum, propter Manichæos. Ab Anastasio propter Manichæos qui maximè valebant in Africa, statutum ne Clerici ordinarentur sine chirographis, id est, litteris commendatitiis quinque Episcoporum. can. *Transmarinos.* 98. dist. quod repetitum est à Gregorio I. & Alexandro III. can. *Afros.* eod. dist. cap. 1. *de Cleric. peregrin. non ordinand.*

Sepultus est in cœmeterio suo ad Vrsum pileatum. Id nomen fuit vico

in quo fuit cœmiterium Anastasii, sumptum fortè ab ursо pileato, qui erat pro insigni. Tabernæ circa forum signis distinctæ erant. Quintil. 6. Inst. cap. 3. *Digito demonstravit imaginem Galli in scuto Mariano Cimbrico picta*m. Tabernæ autem erant circa forum, ac scutum illud signi gratiâ positum. In scuto Mariano fuisse imaginem Galli exerentis linguam, addit Plin. lib. 35. cap. 4. *Talem*, inquit, *ostendens in tabula pictum inficetissimè Gallum exerentem linguam.* Ludi causâ signa ponebantur, quæ risum moverent, ut nihil mirum sit hoc loco, ursum pileatum quasi servum manumissum signi causâ visum esse. Innocentium I. in eodem cœmiterio ad Ursum pileatum sepultum refert Anastas. in ejus Vita in fine. Ejusdem cœmiterii ad Ursum pileatum meminit Anastas. in Nicolao I. *Necnon & cimiterium eâdem viâ ad Vrsum pileatum restauravit.* Vicus Ursi pileati fuit in regione quinta Urbis seu Esquilina. Sext. Ruf. de regionib. Urb. Similiter in regione quarta Urbis fuit locus dictus *ad albas Gallinas*, cujus meminit Sextus Rufus in libello de reg. Urb. Et Gregor. lib. 2. epist. 17. *Domum positam in hac Vrbe regione quarta juxta locum qui appellatur Gallinas albas.* Fortè à Gallinis albis quæ erant hoc loco insignis vice. Villa Cæsarum quæ erat ad Tyberim juxta nonum lapidem viâ Flaminiâ, dicta est *ad Gallinas*, quòd ibi servaretur proles gallinæ albæ, quam prætervolans aquila ex alto abjecit in gremium Liviæ Drusillæ sedentis sub dio, de qua Plin. l. 15. c. 30.

IN INNOCENTIO.

HIC constitutum fecit de omni Ecclesia, & de Regulis Monasteriorum. Innocentius I. Regulas dedit Monachis quæ desiderantur. Per id tempus Augustinus Regulam dedit Sanctimonialibus. Testem ipsum habemus epist. 109. qua continetur Regula. Ante Siricium Monachi erant extra Clerum. Syricius I. Monachos in Clericos ordinari optavit & voluit, can. *Monachos.* 16. quæst. 1. *Calices argenteos baptismi numero tres, pensantes sing. libras.* Innocentius obtulit calices argenteos baptismi causâ. In Ecclesiis erant calices dicati baptismo, id est, ad tribuendam sacram communionem baptizatis, quia baptizati statim à baptismo admittebantur ad sacram communionem sub utraque specie, ut moris erat ea ætate. Tertull. de Pudicitia cap. 9. *Annulum quoque accepit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur.*

IN ZOZIMO.

ET fecit constitutum, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallio linostbinio. A Zozimo constitutum ut Diaconi in læva gestarent mappulas, quæ pallia sunt lintea seu linea, can. *Illud.* 93. dist. Hodie manipulum appellant.

Et per Parochias concessa licentia cereos benedici. Zozimo tribuitur constitutum de benedicendo cereo Paschali. Idem Sigebert. ad ann. 417. *Zozimus Papa decernit cereum Sabbato sancto Paschæ per Ecclesias benedici.* Inde Sabato Paschæ cereus solenniter benedictus accenditur. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. lib. 3. cap. 31. *Argenteam columnam supra basim porphyreticam statuit, supra quam cereus magnus, qui Paschali Sabbato benedicendus est, solenniter imponeretur.*

Et jussit ut nullus Clericus poculum in publico propinaret, nisi tantùm in cellis fidelium, maximè Clericorum. Zozimi decretum ne Clerici tabernam seu cauponam ingrediantur edendi vel bibendi causâ. Idem vetuit Synod. Carth. IV. can. 27. nisi necessitatis causâ in itinere, can. *Clerici.* 44. dist. Clericis quoque non licet cauponam exercere. Synod. VI. in Trull. can. 9.

IN BONIFACIO I.

NEC servum Clericum fieri, nec obnoxium curiæ vel cujustibet rei. Bonifacii Decreto vetitum, ne servi vel obnoxii curiæ, id est, curiæ municipali, vel rationibus publicis admittantur in Clerum. Idem constitutum variis sanctionibus Cæsareis & Pontificiis, L. *Officialis.* L. *Si quis.* C. *De Episc. & Cleric.* can. 1. *Et.* per totum. 51. dist. can. *Legem.* 53. dist. can. 1. *Et.* per totum. 54. dist.

IN CELESTINO I.

HIC fecit multa constituta, & constituit, ut centum quinquaginta Psalmi David ante sacrificium psallerentur antiphonatim, quod antè non fiebat, sed tantùm recitabantur epistolæ Pauli Apostoli, & sanctum Evangelium. & sic Missæ fiebant. Idem refert Sigebert. ad ann. 426.

Cantharas argenteas cerostratas in gremio basilicæ viginti quatuor pensant. sing. libras viginti. In gremio basilicæ, id est, in

choro seu medio Ecclesiæ. Anastas. in Sylvestro : *Cantharа cerostrata in gremio basilicæ argentea quinquaginta.*

IN SIXTO III.

HVIVS *temporibus fecit Valentinianus Augustus Confessionem beati Pauli Apostoli ex argento purissimo, quæ habet libras ducentas.* Confessiones Apostolorum Martyrum & Sanctorum sunt sepulcra eorum. Anastas. infr. eod. *Item fecit Sixtus Episcopus Confessionem sancti Laurentii Martyris, cum columnis porphyreticis, & ornavit transennam & altare, & Confessionis sancti Martyris Laurentii.* Idem in Hilario : *Confessionem sancti Iohannis Baptistæ fecit ex argento.* Et infrà : *Et Confessionem sancti Iohannis Evangelistæ fecit ex argento.* Et rursus : *In Oratorio S. Crucis fecit Confessionem, ubi lignum Dominicum posuit cum Cruce aurea cum gemmis.* Idem in Anastas. II. *Hic fecit Confessionem beati Laurentii Martyris ex argento.* Idem in Honorio : *Et investivit Confessionem beati Petri ex argento puro.*

Et ornavit transennam & altare. Transenna est transitus. Idem in Stephano IV. *Et post modicos dies ipsum de eadem custodia ejicientes Waldipertum Presbyterum, eumque projicientes in terra juxta transennam campi Lateranensis ejus effoderunt oculos.* Pergula, per quam transitur. Paulin. epist. 12. *Hæc basilica aperitur tribus arcubus paribus prælucente transenna.* Macrob. lib. 2. cap. 10. *Sedenti in transenna.* Vel trajectus funis. Servius in illum locum 5. Æneid. *Et volucrem trajecto in fune columbam. Vnde transenna dicitur extentus funis.* Vel crates seu machina qua aves capiuntur. Plaut. in Rudente : *In ætate hominum plurimæ fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis.* Idem in Bacchid. *Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit.* Idem in Persa : *Hunc ego hominem hodie in transennam, doctis ducam dolis.*

Ministerium ad baptismum, vel pœnitentiam, ex argento, pensant. lib. decem. Ministeria vasa sacra. Idem Anastas. in Hilaro : *Ministeria ad baptismum argentea libras decem.* Idem in Gregorio : *Ambonem etiam marmoream in eadem Ecclesia fecit, eamque diversis ditavit linteis, atque ministeriis.* Capellam vocant recentiores. Eginart. in Carolo M. *Capellam, id est, Ecclesiasticum ministerium.*

IN LEONE.

HIC constituit ut Monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit virginitate sexaginta annorum. Leonis decretum est ne Monacha, id est, virgo, veletur ante annum ætatis sexagesimum. Ex Conc. Agath. can. 19. & Syn. VI. in Trull. can. 40. modus impositus est ne velentur ante annum 40. Syn. Carth. III. can. 4. ante annum 25. can. *Sanctimonialis.* & seq. 20. qu. 1.

Hic constituit super sepulcra Apostolorum custodes, qui dicuntur Cubicularii ex Clero Romano. Decreto Leonis impositi sunt custodes sepulcris Apostolorum lecti ex ordine Clericorum, qui dicti sunt Cubicularii. Cubicularii sunt servi qui sunt in ministerio cubiculi. Tranquill. in Julio cap. 4. *Cum uno medico & Cubiculariis duobus.* Inde Cubicularii dicti sunt custodes corporum Apostolorum, quasi essent cubicularii Apostolorum, vel quia assumebantur è cubiculo seu camera Pontificis. Eadem analogia Cubicularios Ecclesiæ sancti Martini pro ædituis accepit Ottho Frisingens. Chronic. lib. 4. cap. 32. & Sigebert. ad ann. 509. Eosdem matricularios vocitat Abbas Urspergens. Vandelbert. Diacon. in Vita S. Goaris apud Surium 6. Julii: *Custodes vel Matricularii Ecclesiæ.* Capellæ vel oratoria adjecta Ecclesiis dicuntur cubicula. Anastas. in Sergio: *Hic tectum & cubicula quæ circumquaque ejusdem basilicæ sunt, studiosius ornavit.*

IN HILARO.

NYMPHÆVM & triporticum ante oratorium sanctæ Crucis, ubi sunt columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur Hecaton penta. Nymphæa sunt ædes publicæ, in quibus nuptias celebrabant, qui ædibus carerent. Zonar. in Leon. M. Aliàs nymphæa sunt aquaria columnis marmoreis ornata, quæ plerumque ponebantur ante ædes sacras ornatus causâ, ut hic nymphæum positum ab Hilaro ante oratorium sanctæ Crucis. Ante basilicam sancti Petri fuit cantharus columnis ornatus, salientes aquas fundens, de quo Paulin. epist. 33. *Quave prætento nitoris atrio, fusa vestibulo est, ubi cantharum ministra manibus & oribus fluenta ructantem, fastigiatus solido ære tholus ornat, & inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis, salientes aquas ambiens: decet enim ingressum*

ingressum Ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur. Et Anastas. in Symmacho: *Et cantharum beati Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit.* Nymphea in Urbe variis locis extructa. Ammian. lib. 15. *Ad Septem zonium, celebrem locum, ubi operis ambitiosi nymphæum Marcus condidit Imperator.* Et Capitolin. in Gordiano Juniore: *Opera Gordiani Romæ nulla extant, præter quædam nymphæa & balnea.*

Lacus & conchas triantas duas, cum columnis porphyreticis ragiatis, foratis, aquam fundentes. Lacus erant piscinæ lapideæ juxta fores ædium, continentes aquam ad jumentorum adaquationem, & reprimenda incendia. Donatus in Adelphis: *Varro docet semper lacum portis additum, scilicet ad usum jumentorum exeuntium & introeuntium, & præterea ut adversus hostilem ignem portis de proximo subveniretur.* Tranquill. in Galba cap. 7. *Ad lacum ubi adaquari solebat.* Lines vocat, L. *Lines.* ff. *De act. empt.* Conchæ sunt vasa lapidea, quæ aquam è lacubus excipiebant. Hinc conchæ lacubus ferè semper conjunguntur, ut hîc & infr. eod. *Et in medio lacum porphyreticum cum concha assirta in medio aquam fundentem.* Lege *assita* vel *adsita.* De conchis infr. in Paschali. Circa lacus & conchas quæ erant in vestibulo ædium, ornatus causâ ponebantur columnæ marmoreæ, vel lapideæ; & marmoreæ ut plurimùm, ut tutæ essent ab injuria, erant ragiatæ, id est, amictæ reticulis è ferro vel ære, vel nervis. Ulpian. in L. *Fundi.* §. *Reticuli.* ff. *de act. empt. Reticuli circa columnas, plutei circa parietes, item cilicia vela ædium non sunt.* Varro 3. de re rustic. cap. 5. *Inter columnas exteriores, pro pariete reticuli è nervis sunt, ut perspici in silva possit, & quæ ibi sunt, neque avis ea transire.* Ragia est reticulum, unde manavit haud dubiè vulgare *Rejat, une grille de fer.* Hujusmodi lacus & conchæ foratis aquam fundebant, id est, per fistulas quæ forata dicuntur, quia capita fistularum foris prominentia per ora capitum leonum fundunt aquam. Sidon. lib. 2. epist. 2. *In hanc ergo piscinam fluvium de supercilio montis elicitum sex fistulæ prominentes, leonum simulatis capitibus effundunt.* A Latino *forare.* Frontin. de aquæductib. lib. 2. *Non enim solùm ad ipsarum aquarum custodiam, sed etiam ad castelli tutelam pertinet, quod subinde & sine causa foratum vitiatur.* Et hoc est quod priùs idem dixit *foramen: Foramen novum castello imponunt, vetus relinquunt, quo venalem extrahant aquam.* Ait *lacus & conchas trientas*, lege *trientes.* Lacus & conchæ di-

ctæ trientes à modulo aquæ, quia capiunt trientem digiti aquæ, quæ ducitur ex formis aquæductuum beneficio Principis. Frontin. de aquæduct. lib. 1. *Vnciæ ergo modulus habet diametri digitum unum, & trientem digiti.*

In medio cancellis æreis, & columnis cum fastigiis, & epistyliis, undique ornatam ex musivo, & columnis Aquitanicis. Musivum opus est opus tessellatum, id est, tessellis marmoreis variegatum. Augustin. de Civit. Dei lib. 15. cap. 8. *Et cætera hominum, vel quasi hominum genera, quæ in maritima platea Carthaginis musivo picta sunt.* Paulin. epist. 12. *Absidem solo & parietibus marmoratam, camera musivo illusa clarificat.* Anastas. in Symmacho: *Et cantharum beati Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit, & ex musivo agnos & cruces & palmas fecit.* Museum vocat Plin. lib. 36. cap. 21. *Appellantur quidem ita & erosa saxa, in ædificiis quæ musea vocant.* Columnæ Aquitanicæ sunt columnæ marmoris Aquitanici, quod effoditur in montibus Pyreneis qui continentur finibus Aquitaniæ. Sidon. lib. 2. epist. 10. *Fulmentis Aquitanicis superba.* Vitruv. lib. 3. cap. 1. *De fulmentis Aquitanicis.* Fastigia columnis adduntur. Fastigia columnarum sunt capita seu capitella columnarum. Plin. lib. 36. cap. 23. *In Ephesiæ Dianæ æde primùm columnis spiræ subditæ & capitella addita.* Leo Ostiens. lib. 3. cap. 28. *In columnarum ipsius Ecclesiæ capitellis.* Augustin. lib. 2. Qu. in Exodum cap. 109. *Bases columnarum non eas tantùm videtur dicere Scriptura, quibus columnæ ab imo fulciuntur, sed etiam superiores, quæ capitella nos dicimus.* Super capita columnarum ornatus causâ ponebantur angeli ex argento vel auro. Anastas. in Leone III. *Pari modo in basilica ipsius Apostoli fecit Cherubin ex argento purissimo deauratos quatuor, qui stant super capita columnarum.*

In urbe Roma constituit ministeriales, qui circuirent constitutas Stationes. Stationes erant statæ preces ad memorias seu sepulcra Martyrum. Tertull. 2. ad Uxor. *Vt si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas.* Idem de jejun. adv. Psychic. *Proinde nec Stationum, quæ & ipsæ suos quidem dies habeant, quartæ feriæ & sextæ.* Anastas. in Gregor. III. *Item in cimiterio sanctæ Petronillæ stationem annuam dari instituit.* Stationes erant constitutæ certis diebus & certis locis: ideò ab Hilaro lecti sunt ministeriales, id est, Clerici qui lustrarent, id est, visitarent stationes, id est, loca & altaria destinata stationibus.

Fecit autem oratorium sancti Stephani in baptisterio Lateranensi.

Hilarus oratorium dedicavit in baptisterio Lateranensis basilicæ. In baptisteriis oratoria, id est, altaria dedicari solebant. Anastas. in Symmacho: *Item ad fontem in basilica beati Petri Apostoli oratorium sanctæ Crucis ex argento.*

Fecit autem & bibliothecas duas in eodem loco. Hilarus binas bibliothecas posuit in baptisterio Lateranensi. Ecclesiæ majores habuere bibliothecas. Hieronym. ad Pammach. adversus Jovinian. *Ecclesiarum bibliothecis fruere.* Bibliothecæ Hierosolymitanæ per Alexandrum Episcopum instructæ meminit Eusebius lib. 6. cap. 14. Cæsariensis Bibliothecæ Hieronym. in epist. ad Titum, & lib. 3. adversus Pelag. In bibliotheca Ecclesiæ Romanæ depositi libri Gelasii adversum Eutychem & Nestorium. Anastas. in ejus Vit. *Hic fecit libros adversus Eutychem & Nestorium, qui hodie in bibliotheca & Ecclesiæ archivo reconditi tenentur.* Inter officia Ecclesiæ Romanæ fuit Bibliothecarius. Anastas. in Gregor. II. *Bibliothecæ illi est curæ commissa.*

IN SIMPLICIO.

HIC constituit ad sanctum Petrum Apostolum, & ad sanctum Paulum Apostolum, & ad sanctum Laurentium Martyrem hebdomadas, ut Presbyteri manerent ibi propter pœnitentes & baptismum. Regionem tertiam ad sanctum Laurentium. Regionem primam ad sanctum Paulum. Regionem sextam vel septimam ad sanctum Petrum. Simplicius in Ecclesiis sancti Petri, sancti Pauli, & sancti Laurentii instituit Presbyteros, qui per hebdomadas pœnitentiam & baptismum ministrarent, hinc dicti Hebdomadarii. Anastas. in Gregor. III. *Et à Presbyteris hebdomadariis missarum solemnia.* Idem in Stephano IV. *Hic statuit ut omni Dominico die à septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observant, missarum solemnia super altare beati Petri celebrarentur.* Hoc exemplo in Concilio G. Lateranensi habito sub Innocentio III. in singulis Ecclesiis Cathedralibus & Conventualibus instituti Pœnitentiarii audiendis confessionibus & pœnitentiis injungendis, cap. *Inter cætera. de offic. ordin.* Ottho sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis & Legatus Sedis Apostolicæ in Anglia in Concilio habito 1239. in Ecclesia sancti Pauli Londinensis, Pœnitentiarios, id est, Confessores, instituit in singulis Ecclesiis Cathedralibus, ut refert Matth. Paris: *In Ecclesiis verò Cathedralibus Confessores instituti præcipimus generales.* In Ecclesia Cameracensi Pœ-

nitentiarii officio se per plures annos functum refert Thom. Cantipratan. Apum lib. 2. cap. 30.

Sub hujus Episcopatu venit relatio de Græcia ab Acacio Constantinopolitano Episcopo, & affirmavit Petrum Alexandrinæ urbis Eutychianistam hæreticum, facta petitione ab Acacio Episcopo, chirographo ejus constructa. Relatio de hæresi accipitur hîc pro delatione, quæ fiebat chirographo deferentis obsignata. Anastas. infr. in Felice III. *Sub hujus Episcopatu iterum venit relatio de Græcia Petrum Alexandrinum revocatum ab Acacio Episcopo Constantinopolitano.* Et infr. eod. *Post annos tres iterum venit relatio ab Imperatore Zenone, ut pœnitens rediret Acacius.* Idem in Gelasio: *Hujus temporibus iterum venit relatio de Græcia, eo quòd multa, & homicidia fierent à Petro & Acacio.* Idem in Anastas. *Tunc Festus & Probinus Senatores miserunt relationem Regi, & cœperunt agere ut Visitatorem daret Rex Sedis Apostolicæ.* Idem in Bonifacio II. *Eodem tempore venit relatio ab Afris Episcopis de constitutione, ut cum consilio Sedis Apostolicæ omnia Carthaginenses Episcopus faceret.* In libris Juris relatio aliter sumitur pro consultatione emissa ad Principem à Præside vel Judice in dubiis causis, L. *Ad Principem.* L. *Ad Imperatorem.* ff. *de appell. & relat.* Augustin. epist. 137. *Quæ vel in negotiis sæcularibus judices faciunt, quando causæ dubitatio ad majorem potestatem refertur, ut pendente relatione aliquid inde audeant commutare.* Optat. Milevit. lib. 1. adv. Donatist. *Relatio missa est, rescriptum venit.*

Eodem tempore fuit Ecclesia prima, hoc est, Sedis Apostolicæ executrix. Acacius Episcopus Constantinopolitanus agnovit primatum Ecclesiæ Romanæ, cùm Petrum Alexandrinum Episcopum de hæresi detulit apud Sedem Apostolicam, quæ eo nomine executrix dicitur, quia deferente Acacio Simplicius Pontifex causâ cognitâ damnavit Petrum Alexandrinum. Primatum Ecclesiæ Romanæ agnovit Hieronym. epist. ad Damasum: *Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. Facessat invidia Romani culminis, recedat ambitio: cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.*

IN FELICE III.

TVNC venerabilis Felix Archiepiscopus Sedis Apostolicæ urbis Romæ, mittens Defensorem cum consilio Sedis suæ. Defensores erant Subdiaconi Ecclesiæ Romanæ, quibus utebatur Pontifex vel ad regendum patrimonium Ecclesiæ Romanæ, vel ad legationes obeundas, vel ad judicandum de rebus & personis Ecclesiasticis, can. *Valde necessarium.* 94. dist. can. *Pervenit.* 11. qu. 1. can. *Probinum.* can. *De præsentium.* 16. qu. 1.

Et post transitum ejus factum est à Presbyteris & Diaconibus constitutum de omni Ecclesia, ut nullus aliquando in ea causa præsumeret se festinum ostendere de ea re, quæ aliquando ad requisitionem pervenire debet. Vacante Sede Romana morte Felicis Clerus Romanus statuit ut nullus interim festinaret cognoscere de ea re quæ aliquando ad requisitionem pervenire deberet, id est, de causa Acacii Constantinopolitani & Petri Alexandrini, de qua Felix agere cœperat. Vacante Sede nihil innovandum, cap. *Novit. ne Sed. vacant.*

IN GELASIO.

HUJUS temporibus inventa est Ecclesia sancti Angeli in monte Gargano. Temporibus Gelasii inventa est crypta sancti Michaelis Archangeli in monte Gargano; unde & ejus memoria singulis annis celebriori festivitate colitur. Rem refert Sigebertus ad annum 488. in epocha anni lapsus, quia Gelasius non sedit ante annum 492.

Quorum codices ante fores basilicæ sanctæ Mariæ incendio concremavit. Manichæi urbe pulsi, & eorum libri cremati ante fores basilicæ sanctæ Mariæ. Idem factum à Symmacho. Anastas. in ejus Vita: *Post hæc omnia beatus Symmachus invenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnia simulacra, vel codices ante fores basilicæ Constantiniana incendio concremavit.* Ex constitutione Theodosii libri hæreticorum publicè comburendi, L. 6. *de hæretic.* Libri etiam improbatæ lectionis, putà magici vel his similes corrumpendi sunt, L. 4. §. 1. ff. *Famil. erciscund.* Mathematici conversi libros publicè crematos narrat Augustin. in Psalm. 61. *Ergo iste, nunc quæsitus, inventus, adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus.*

Hic fecit tractatus & hymnos ſicut beatus Ambroſius Epiſcopus. Tractatus ſunt expoſitiones Scripturæ. Auguſtin. contr. Maximin. lib. 1. *Siquidem non tantùm verbis me nudare conatus es à diſcipulatu eorum, verùm etiam & tractatum tuum dediſti.* Nemeſianus & alii ad Cyprian. epiſt. 78. *Et enim omnibus hominibus in tractatu major; in ſermone facundior.* Hinc tractatus eſt ſermo qui habetur ad populum poſt lectionem Evangelii inter miſſæ ſolemnia. Ambroſ. epiſt. 33. *Sequenti die, erat autem Dominica, poſt lectiones atque tractatum, dimiſſis Cathecumenis, ſymbolum aliquibus competentibus, in baptiſteriis tradebant baſilicæ.* Inde miſſas agere & tractare ſunt diverſa. Victor Uticenſ. de perſec. Vand. lib. 2. *Liberum arbitrium habetis in Eccleſiis veſtris, miſſas agere vel tractare.* Inde tractatores dicti expoſitores Scripturæ. Auguſtin. epiſt. 11. *Omnes veteres tractatores qui nos in Domino præceſſerunt, & qui Scripturas ſanctas interpretati ſunt, aut obſcura interpretati ſunt, aut manifeſta.* Idem in Pſalm. 102. *Vocat per lectorem, vocat per tractatorem.* Idem de Tempore ſerm. 220. *Dicit illud de ore ſuo tractator aut diſputator Epiſcopus.* Idem in Joan. cap. 22. *Remotis omnibus lectionibus & paginis & voce lectoris & tractatoris.* Hymni ſunt carmina in laudem Dei quæ canuntur in Eccleſia. Gelaſius hymnos compoſuit exemplo Ambroſii.

IN SYMMACHO.

TVNC Feſtus & Probinus Senatores miſerunt relationem Regi, & cœperunt agere ut Viſitatorem daret Rex Sedi Apoſtolicæ. Tunc Rex dedit Petrum Altinæ Civitatis Epiſcopum. Inſtaurato ſchiſmate inter Symmachum & Laurentium, Petrus Altinus Epiſcopus à Theodorico Rege Gothorum Viſitator Sedis Apoſtolicæ datus, poſtulantibus duobus Senatoribus contra Canones. Idem narrat Sigebert. ad ann. Chr. 496. *Aliqui Romanorum ſubornatis falſis teſtibus, incriminantes Symmachum Papam, latenter Laurentium in Papatum ſubintroduxerunt, pro quo ſchiſmate dirimendo, Rex Theodoricus Epiſcopum Petrum, contra Canones Viſitatorem Sedis Apoſtolicæ inſtituit, id eſt, ut pulſo utroque Sedem teneret.*

Hic fecit baſilicam ſancti Andreæ Apoſtoli, apud beatum Petrum Apoſtolum, ubi fecit ciborium ex argento, & Confeſſionem penſ. libras centum & viginti. Altari baſilicæ imponitur ciborium, ut infr. eod. *Intra civitatem Romanam baſilicam ſanctorum Silveſtri & Martini à fundamento conſtruxit, juxta Thermas Trajanas, ubi & ſuper-*

altare ciborium argenteum fecit pensant. libras 120. Anastas. in Gregor. II. *Et altare à novo fecit, & ciborium argenteum quod fuerat ruinâ quassatum.* Leo Ostiens. lib. 1. Chron. Cass. cap. 20. *Super altare autem S. Benedicti, argenteum illud auro & smaltis simul exornans.* quod erat cooperculum argenteum quod imponebatur altari ornatûs causâ. Joannes Chrysostom. in Act. Apostolor. cap. 19. in illa verba, *Faber argentarius qui faciebat delubra argentea: καὶ πῶς ἵνα ναὸς ἀργυροῦς γένηται, ἴσως ὡς κιβώρια μικρά; Et quomodo possibile erat fieri delubra argentea, fortè ædiculas & coopercula quæ ciboria vocant?* Eodem modo sepulcris Apostolorum & Martyrum imponebatur ciborium, ut sepulcro Apostolorum à Gregorio I. impositum ciborium, quod sustineretur quatuor columnis argenteis. Anastas. in Gregorio: *Hic fecit beato Petro Apostolo ciborium cum columnis suis quatuor ex argento puro.* Cujus meminit Gregor. Tur. de Mirac. Martyr. lib. 1. cap. 28. de basilica Petri: *Habet etiam quatuor columnas in altari, quæ sunt simul centum præter illas, quæ ciborium sepulcri sustentant.* Et inf. eod. *Sunt ibi & columnæ miræ elegantiæ candore niveo quatuor numero, quæ ciborium sepulcri sustinere dicuntur.* Sepulcro B. Agnetis Martyris impositum ciborium ab Honorio. Anastas. in ejus Vit. *Ornavit autem sepulcrum ejus ex argento, posuit & desuper ciborium æreum desuratum miræ magnitudinis.*

Fecit autem oratoria duo sancti Ioannis Baptistæ, & sancti Ioannis Evangelistæ: quæ cubicula omnia à fundamento perfecta construxit. Cubiculum idem quod sacellum vel oratorium, ut hoc loco quæ priùs dicta sunt oratoria, mox dicuntur cubicula. Anast. in Marcellino: *Hic sepultus est in cœmiterio Priscillæ, in cubiculo claro, quod patet usque in hodiernum diem.* Idem in Leone III. *Cubicula verò juxta Ecclesiam beati Petri Apostolorum Principis in meliorem statum erexit.* Inde Cubicularii dicti Clerici, qui ministrabant in prædictis oratoriis.

Gradus verò ante fores basilicæ beati Petri ampliavit. Ad basilicam Petri gradibus ascenditur. Ea est forma veterum ædium sacrarum, ut gradibus ad eas ascendatur. Anastas. infr. eod. de basilica B. Pauli: *Et ante fores basilicæ gradus fecit in atrio, & cantharum.* Idem in Stephano IV. *Quem ad gradus Ecclesiæ beati Petri comprehendentes custodes Longobardorum ad suum deduxerunt Regem.* Idem in Adriano: *Carolus Rex omnes gradus sigillatim ejusdem sacratissimæ beati Petri Ecclesiæ deosculatus est, & ita usque ad prænominatum pervenit Pontificem, ubi in atrio super gradus juxta*

fores Ecclesiæ assistebat. Ad templa etiam gradibus ascendebatur; Ammian. lib. 23. *Namque Kalendis ipsis Ianuarii ascendente eo gradile Genii templum.*

Eodem tempore fecit basilicam beati Pancratii, ubi & fecit arcum argenteum, qui pensabat libras quindecim Arcus argentei erant ornamenta ædium sacrarum, ut hic & infr. eod. *Arcus argenteos duodecim, qui pensabant singuli libras decem.* Et rursus: *Nam ad Archangelum Michaelem basilicam ampliavit, & gradus fecit. Basilica S. Pancratii fuit titulus Cardinalis Episcopi Albanensis.* Anastas. infr. in Leone III. Prioratus S Pancratii de Lewes in Anglia est unus è majoribus Prioratibus Ordinis Cluniacensis, quem fundavit Willelmus Comes Warennæ. W. Malmesb. lib. 2. de Gest. Pontific. Angl. Matth. Westm. ad ann. 1078. de quo cap. *Sacrosancta de elect.*

Et cameram fecit & matronæum, & super confessionem imaginem argenteam eam Salvatore. In ædibus sacris erat pars matronarum seu fœminarum tabulato distincta à parte virorum; quæ matronæum dicebatur. Præter hunc locum Anastas. in Gregor. IV. *Cui ex septentrionali plaga lapidibus circa septum matronæum adposuit.* Inde emendandus locus Anastasii in Leone III. *Matronam verò ipsius Lateranensis Patriarchii quæ extenditur à campo, & ultra imagines Apostolorum*; ut legatur matroneum quasi partem matronarum. Malè vulgò legitur *matronam.*

Hic constituit ut omni die Dominico vel natalibus Martyrum, hymnus diceretur angelicus, id est, Gloria in excelsis Deo. Thelesphorus primus instituit hymnum angelicum decantari in missa, quæ celebraretur sub mediam noctem natalis Domini: postea hoc adjectum est à Symmacho, ut hymnus angelicus decantaretur in omnibus missis quæ celebrarentur in die Dominico, vel natalibus Martyrum. Sigebert. ad annum 493. *Hic Symmachus constituit, omni die Dominico vel natalitio Martyrum, Gloria in excelsis Deo, ad missas cantari: quem hymnum Telesphorus septimus à Petro Papa, nocte tantum natalis Domini ad missas à se in ipsa nocte institutas cantari instituit, & in eo ad Angelorum verba, quæ sequuntur, adjecit.* Natalitia seu natales Martyrum sunt dies passionis Martyrum: inde dicti quòd per martyrium Martyres Christo renascuntur, & melioris vitæ lucem nanciscuntur. August in. in Psalm. 39. *Mortes in quas Pagani sævierunt, in illis hodie reficimur, natalem Martyrum celebramus, exempla Martyrum nobis proponimus.* Idem in Psalm. 63. *Nam & Martyres nondum surrexerunt, & tamen*

men illi nondum profecerunt, nondum resurgentium natalitia celebremus. Idem in Psalm. 118. *Purpurata est universa terra sanguine Martyrum, floret cœlum coronis Martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis Martyrum, insignita sunt tempora natalibus Martyrum.* Idemque Hom. 30. *Attende animo tot Martyrum millia: cur enim se natalitia eorum conviviis turpibus celebrare delectat, & eorum vitam sequi honestis moribus non delectat?* Anastas. in Vigilio: *Anthemius Scribo veniens Romam, invenit eum in Ecclesia sanctæ Cæciliæ 10. Kalendas Decembris: erat enim natalis ejus dies.*

IN HORMISDA.

FVROREE repletus Anastasius Augustus contra Papam Hormisdam inter alia sacra sua hoc scripsit dicens. Sacra sunt epistolæ Principum. Anastas. ipse in Constantino: *Hisdem temporibus missit suprà fatus Imperator ad Constantinum Pontificem sacram, per quam jussit eum ad regiam ascendere urbem.* Et inf. eod. *Dominus autem Justinianus Imperator audiens ejus adventum, magno repletus gaudio, à Nicæa Bithyniæ misit sacram, gratiarum actione plenam.* Et infrà: *Cujus & sacram cum pravi dogmatis exaratione Constantinus suscepit.* Et rursus eod. *Post aliquod verò temporis Scholasticus Cubicularius Patricius & Exarchus Italiæ veniens Romam, detulit secum sacram Anastasii Principis.* Idem in Joanne IV. *Dirigens per eos & sacram, per quam denominatum Pontificem conjuravit.* Augustin. lib. contra Donatistas post collat. cap. 31. *Illi portant multorum Imperatorum sacra, nos sola portamus Evangelia.* Pelag. epist. ad Laurentium Ep. Centumcellens. *Sacram insinuant se clementissimi Principis impetrasse.* Can. *Principali.* 83. dist.

Textum libelli pœnitentiæ. Id est, formulam professionis fidei & ejurationis hæresis, quæ facienda erat à Petro Alexandrino & Acacio Constantinopolitano Episcopis. Suprà dixit simpliciter, *Textum libelli.* Textus pro libro, vel codice. Gregor. libr. 7. epist. 49. *In textu Heptatici.* Idem lib. 12. epist. 30. in fine dixit, *Codicem Heptatici,* Textum vitæ Guinisi Monachi Cassinensis dixit Leo Ostiens. lib. 3. Chronic. Cass. 47.

In quibus & Justinus Imperator & Vitalianus Consul simul occurrerunt cum gloria & laudibus. Justinus Imperator & Vitalianus Consul obvii occurrerunt Legatis Sedis Apostolicæ cum gloria & laudibus, id est, cum crucibus & cereis, & canticis laudis. Eadem cum pompa Joanni Papæ occurrêre cives Constantino-

politani. Anastas. in Joanne: *Qui dum ambulassent cum Ioanne Papa, occurrerunt beato Ioanni miliario 12. omnis civitas cum cereis & crucibus, in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli.* Constantinopoli cum gloria susceptus est Agapitus. Anastas. in ejus Vit. *Et susceptus est Agapitus Episcopus cum gloria.* Vigilio occurrit cum Justiniano plebs CP. cum canticis. Anastas. in Vigilio: *Et plebs illa psallebat ante eum usque ad Ecclesiam sanctæ Sophiæ, Ecce advenit Dominator Dominus, &c.* Henrico III. Regi Anglorum Parisios venienti solemni cum pompa obvii processere Scholares Parisienses cum cereis & vestibus festivis, quas comitissas appellant. Matth. Paris ad ann. 1254. *Cereos vestesque festivas, quas Comitissas appellant, & omnia quæ gaudium poterant attestari, emerunt.*

Hic invenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum exilio deportavit. Manichæi flagellis cæsi, Urbe pulsi. Bœticum hæresis damnatum flagellatum refert Augustin. in Psalm. 122. *Nam quis dubitet nuperrimè, sicut audivimus à fratribus, qui interfuerunt Coepiscopis nostris, illum Bœticum inimicum contra Dominum latrantem, dignè flagellatum fuisse.*

Eodem tempore venit regnum cum gemmis pretiosis, à Rege Francorum Clodoveo Christiano. Clodoveus ab Anastasio Imperatore accepit codicillos Consulatus, unà & coronam auream, quam ipse obtulit beato Petro, quæ dicta est regnum, fortè quòd à Rege oblata esset. Sigebert. ad ann. 510. *Clodoveus Rex ab Anastasio Imperatore codicillos de Consulatu & coronam auream cum gemmis, & tunicam blateam accepit: & ex eo die Consul & Augustus est appellatus; ipse verò Rex misit Romam sancto Petro coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari solet.* Inde quælibet corona aurea regnum dictitari cœpit Romæ. Anastas. in Constantino: *In die autem qua sese invicem viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite sese prostravit, pedes osculans Pontificis.* Idem in Leone III. *Fecit autem idem beatissimus Pontifex in basilica beati Andreæ regnum ex auro purissimo, necnon & supra altare beatæ Petronillæ, fecit regnum aureum cum gemmis pretiosissimis.* Et infrà: *Et in titulo sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur Calixti, fecit regnum ex auro purissimo.* Et infr. *Regnum spanoclystum ex auro purissimo.* Idem in Gregorio IV. *Regnum aureum unum, quod usque hodie super altare dependet.* Idem in Sergio II. *Regnum aureum valde pretiosissimum cum gemmis prasinis hyacinthinis & albis.* Et infr. eod. *Regnum de argento cum tintinnabulis.* Idem in Leone

IV. *Obtulit regnum de argento purissimo, pretiosissimisque gemmis, habens in medio crucem.* Et infr. eod. *Regnum quod pendet super altare majus ex auro purissimo sculptile sine gemmis.*

Et Evangelia cum tabulis aureis cum gemmis pretiosis. Codicem Evangeliorum reponi in cista aurea & gemmis ornata, mos fuit. Gregor. Tur. de Glor. Confess. cap. 63. *Tunc capsam ad sancta Evangelia recludenda, patenamque & calicem ex auro puro, pretiosisque lapidibus præcepit fabricari.* Anastas. in Leone IV. *Sed & Evangelium cum tabulis argenteis.* Leo Ostiens. lib. 3. Chronic. Cass. 30. *Evangelium cum tabula fusili argentea opere anaglypho.*

Pallia olobera blattea, cum tabulis auro tectis de chlamyde vel de stola Imperiali. Pallia olovera blattea sunt vestes sericæ, infectæ mero seu vero conchylio seu murice, id est, purpurâ. Anastas. in Felice II. *Pallia oloviera auro texta quatuor.* Quibus privatis interdictum, L. ult. C. Th. *de vestib. olover.* Blatea dicta à Latino *blatta*, quod est genus vermiculi, qui prehensus rubore inficit manus. Sic pallium blatteum, blatteam tunicam dixit Vopiscus in Aurelian. *Cùm ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico.* Ut & paulò pòst: *Idem concessit, ut blatteas matronæ tunicas haberent.* Et Gregor. Tur. Hist. lib. 2. cap. 38. *Igitur ab Anastasio Imperatore codicillos de consulatu accepit, & in basilica beati Martini tunicâ blatteâ indutus est.*

Scyphos argenteos stationales sex cum crucibus pensantes singulos libras sex. Scyphi stationales erant qui per acolytos præferebantur ante stationes, ut & calices. Anastas. in Leone III. *Fecit verò isdem Antistes beato Petro Apostolo calicem aureum diversis ornatum pretiosis lapidibus, qui præcedit per stationes, pensantem libras tredecim.* Et infr. eod. *Fecit verò communicales ex argento purissimo per singulas regiones, qui præcederent per stationes per manus acolytorum numero viginti quatuor.*

IN BONIFACIO II.

HIC Presbyteris, & Diaconibus, & Subdiaconibus, atque notariis scutellas de adeptis hæreditatibus obtulit, & alimoniis multis in periculo famis Clero subvenit. Menstruæ sportulæ seu annonæ erogabantur Presbyteris, Diaconis, & minoribus Clericis. Cyprian. epist. 34. *Cæterum Presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut & sportulis isdem cum Presbyteris honorentur, & divisiones mensuræ* (lege *mensurnæ*) *æquatis quantitatibus partiantur.* Hinc

Clerici qui menſtruas ſportulas accipiebant de penu Eccleſiæ, fratres ſportulantes dicti. Idem epiſt. 66. *In honore ſportulantium fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificiis non recedant.* Vel fratres menſurantes. Idem epiſt. 28. *Interea ſe à diviſione menſurantium contineant, non quaſi à miniſterio Eccleſiaſtico privati eſſe videantur, ſed ut integris omnibus ad noſtram præſentiam differantur.* Et hujuſmodi annonæ ſeu ſportulæ Clericis diſtribuebantur, per ſcutulas vel ſcutellas, id eſt, per teſſeras ſeu ſigna quæ dicebantur ſcutulæ vel ſcutellæ, quòd eſſent in formam ſcutelli ſeu ſcutuli. Scutella eſt diminutivum ſcutulæ, quod eſt ſignum, in formam ſcuti ſeu ſcutuli. Caſſian. coll. 1. cap. 5. *In parviſſima quadam ſcutula, quæ depicta in ſe continet præmia, jacula vel ſagittas intorquere contendunt.* Et hoc eſt quod dicitur hîc Bonifacius Preſbyteris & Clericis ſcutellas obtuliſſe de rebus Eccleſiæ, id eſt, particulas rerum quæ obveniebant Eccleſiæ ex teſtamento vel donatione fidelium: quia erogatio hujuſmodi fiebat per ſcutellas, id eſt, per ſigna ſeu teſſeras. Unde diſtributiones annonæ vel annonæ ipſæ dictæ ſunt ſcutellæ. Signum pro ſignato, ſicuti in libris Juris teſſeræ frumentariæ accipiuntur, pro annonis frumentariis quæ præſtitabantur per teſſeram, L. *Mortuo.* §. 1. L. *Titia. de legat.* 2. Aliàs ſcutella pro vaſculo in quo pulmentum deponitur. Joann. Diacon. lib. 2. cap. 23. *Cui dediſti duodecim nomiſmata & argenteam ſcutellam, quam tibi miſerat cum infuſis leguminibus beata Sylvia mater tua.*

Hic congregavit Synodum in baſilica beati Petri Apoſtoli, & fecit conſtitutum, ut ſibi ſucceſſorem ordinaret. Bonifacius II. in Synodo Romana conſtitutum fecit, ut ſibi liceret ſucceſſorem deſignare, & Vigilium Diaconum ſucceſſorem elegit, exacto chirographo & jurejurando Cleri Romani: ſed Bonifacius facti pœnitens, in ſecunda Synodo, quod geſtum erat, reſcidit, quia contra Canones hoc factum fuerat. Romanus Pontifex non poteſt deſignare ſucceſſorem, can. *Si quis Papa.* can. pen. 29. diſt. can. *Epiſcopo.* & ſeq. 8. qu. 1.

IN JOANNE II.

EODEM tempore vir religioſus Auguſtus miſit fidem ſuam chirographo ſcripto proprio ad Sedem Apoſtolicam per Epiſcopos, &c. Juſtinianus Imp. miſit profeſſionem fidei ad Joannem II. Rom. Pontificem ex antiqua conſuetudine. Symmachus Pon-

tifex in Apologetic. adverſ. Anaſtaſ. *Omnes Catholici Principes, ſive cùm Imperii gubernacula ſuſceperunt, ſive cùm Apoſtolicæ Sedi novos agnoverunt Præſules inſtitutos, ad eam ſua protinus ſcripta miſerunt, ut ſe docerent ejus eſſe conſortes. Itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem ſe ipſos profitentur alienos: quod chartis quoque ſuis apud te etiam poſſumus adſtruere, niſi te æmulum & reum, & inimicum vitaremus & judicem.*

IN AGAPITO.

CUIUS corpus in loculo plumbeo tranſlatum eſt, uſque in baſilicam beati Petri Apoſtoli. Corpora majorum ſolebant condi in loculis plumbeis. Anaſtaſ. in Joann. III. de Narſete: *Cujus corpus poſitum eſt in locello plumbeo.* Idem Paul. Varnefr. de Geſt. Longobard. lib. 2. cap. 11. Veteribus loculus pro feretro, in quo condebantur corpora mortuorum, quæ non cremabantur. Plin. lib. 7. cap. 2. de pollice Pyrrhi Regis: *Hunc cremari cum reliquo corpore non potuiſſe tradunt, conditumque loculo in templo.*

IN SILVERIO.

INTRA civitatem autem grandis fames erat, ita ut aqua venundaretur pretio, niſi nympharum remedium ſubveniſſet. A Gothis obſeſſa urbe Roma, eo penuriæ rerum omnium deventum eſt, ut aqua veniret, niſi urbi ſuccurſum eſſet nympharum remedio, id eſt, auxilio aquæ nympheorum, id eſt, balneorum, quæ frequentiora erant Romæ.

Tunc erat Vigilius Diaconus Apocriſiarius Conſtantinopoli. Apocriſiarii ſeu Reſponſales erant Miſſi ſeu Legati, qui nomine Romani Pontificis ſemper erant in comitatu Imperatoris, ut rebus Eccleſiæ proſpicerent. Eo munere functum eſſe Gregorium in aula Conſtantinopolitana tempore Pelagii, teſtis eſt Joannes Diaconus ejus Vit. lib. 1. cap. 26. *Nec multò pòſt pro reſponſis Eccleſiaſticis ad urbem Conſtantinopolim à Pelagio Præſule deſtinatur.* Hodie nuntii Apoſtolici vocantur. Per Apocriſiarios mandata Pontificia perferebantur ad Patriarcham CP. Anaſtaſ. in Theodoro: *Tunc ſanctiſſimus Theodorus Papa ſcripſit Paulo Patriarchæ regiæ civitatis, tam vòcans, quamque regulariter increpans, necnon per Apocriſiarios pro hoc maximè deſtinatos præſentialiter ammonens & conteſtans.* Idem in Martino: *Qui videlicet Apocriſiarii, ex præce-*

ptione Apostolicæ auctoritatis commonuerunt eum, ut de tali hæretico intentu recederet. Idem in Nicolao : *Arsenium Episcopum hujus almæ Sedis Apostolicæ Apocrisiarium & Missum illico destinavit.*

Et ad primum & secundum velum retinuit omnem Clerum. Silverius ingressus ad Bellisarium intra Pincianum Palatium, Clerici verò qui eum prosequebantur, retenti ad primum & secundum velum, id est, ad primas & secundas fores, ut constat ex hoc loco & epist. Silverii ad Amatorem, quæ extat in can. *Gulisarius.* 23. qu. 4. Vela sumuntur pro foribus, quia fores augustarum vel majorum ædium erant velis obseptæ. Tranquil. in Claudio : *Interque prætenta foribus vela se abdidit.* Anastas. in Gregor. IV. *Vela Alexandrina tria ante portas majores pendentia, habentia homines & caballos.* Tertull. adversus Valentinian. *Tot syparia portarum.* Anastas. in Leone III. *Et alia vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu.* Sidon. lib. 1. epist. 2. *Pellitorum turba satellitum pro foribus immurmurat, excluſa velis, inclusa cancellis.* Foribus Ecclesiarum etiam vela apposita. Hieronym. ad Heliodor. *Janitor crebrò in porta, vela semper in ostiis.* Nec velis caruere etiam fores scholarum. Augustin. de verb. Apostol. serm. 25. *Quamvis ille esset paganus grammaticus melior ad velum, quàm ad cathedram.* Laudatur Alexander Severus, quòd domi salutaretur quasi privatus patente velo, remotis admissionalibus. Lamprid. in Alexandro : *Salutabatur verò quasi unus ex Senatoribus patente velo, admissionalibusque remotis.* Et hoc est quod ait L. pen. C. *de naufrag. levato velo.*

Et misit eum in exilium in Pontias. Silverius in exilium relegatus in Pontiam insulam, quæ est in ora maris Tyrrheni. Ibidem exulasse Faviam Domitillam persecutore Domitiano legitur. Martyrol. Rom. 7. Maii.

Joannes Subdiaconus Regionarius primæ regionis tulit pallium de collo ejus. Fabianus Pontifex Notariis per septem regiones Urbis dispositis, ut Martyrum gesta colligerent, testimonii causâ adjecit totidem Subdiaconos : hinc dicti Subdiaconi Regionarii, ut hîc & infr. eod. *Tunc Sixtus Subdiaconus Regionarius regionis sextæ.*

Qui deficiens mortuus est, & Confessor factus est. Silverius in exilio mortuus in insula Pontia habitus est numero Confessorum. Idem de Martino mortuo in exilio in Chersonesso insula, Anast. in ejus Vit. *Et ibidem ut Deo placuit, vitam finivit in pace Christi Confessor.* Hoc distant Confessores à Martyribus, quòd Martyres sunt, qui extrema passi sunt pro fide : Confessores, qui aliquid passi sunt

pro fide, putà exilium, carcerem, tormenta, non usque ad necem. Optat. Milevit. lib. 1. adverſ. Donatiſt. *Nam ferme ante annos ſexaginta & quod excurrit, per totam Africam perſecutionis eſt devagata tempeſtas, quæ alios fecerit Martyres, alios Confeſſores.* Hanc diſtinctionem juvat Cyprian. epiſt. 5. *Quemadmodum autem ad ſumptus ſuggerendos, ſine illis qui glorioſa voce Deum confeſſi in carcere ſunt conſtituti, &c.*

IN VIGILIO.

ET fecit eum Patritium & Comitem. Patriciatus erat culmen dignitatum: tamen interdum Patriciatui addebatur dignitas Comitivæ, quaſi acceſſio & complementum omnium dignitatum. Syneſ. epiſt. 144. Περὶ τῶ Κόμητος ἐγγεγράφεις, λέγω ὃ τὸ τυχόντος ἀρχῆς τῆ ἐν τῆ πατρίδι στρατιωτῶν. *De Comite ſcripſeras, intelligo autem de eo, qui adeptus eſt præfecturam militum in patriam.* Joſeph Tiberiadenſi præpoſito ædificiis Eccleſiarum Tiberiadis Comitivæ honorem adjecit Conſtantinus: de quo Epiphan. hæreſ. 30. ἀξίωματος Κομιτῶν ἔτυχε. Comitis nomen datum eſt omnibus magiſtratibus, qui ex ſacro Comitatu aſſumerentur, ut patet ex Notit. dignitat. Imper. Necnon nomen & dignitas Comitis addi ſolebat Honoratis, id eſt, iis qui functi erant omnibus muneribus reipublicæ gradatim, & per ordinem, L. 75. C. Th. *de Decurionib.*

Quo audito, Auguſta miſit Anthemium Scribonem cum juſſionibus ſuis. Scribonum varium erat munus in perferendis & exequendis mandatis Imperatoris. Anaſtaſ. in Theodoro: *In boiatos miſit Ravennam per manus Maurini Scribonis.* De quo plura in Gregor. lib. 8. epiſt. 36. & lib. 12. epiſt. 30.

Anthemius Scribo veniens Romam invenit eum in Eccleſia ſanctæ Ceciliæ 10. Kalendas Decembris, & rogante populo tentus eſt: erat enim natalis ejus dies, munera tradens populo. Vigilius memoratur fuiſſe in Eccleſia ſanctæ Cæciliæ in die natali ejus, & munera tradidiſſe populo. Hic locus intelligi poteſt de Euchariſtia, quia Græci eam vocant τὸ δῶρον, τὰ δῶρα, vel τὰ ἅγια δῶρα.

Plebs autem ſequebatur eum acclamantes, ut orationem ab eo acciperent: data oratione, reſpondit omnis populus, Amen. Oratione data Roman. Pontifex benedicebat populo. Anaſtaſ. in Stephano IV. *Illicque oratione ab Epiſcopo data juxta antiquitatis morem, tribuentemque pacem omnibus, in Lateranenſe introduxerunt Patriarchium.* Idem in Sergio II. *Et data à prædicto almo Pontifice ſuper populum oratione,*

ab Ecclesia pariter omnes regressi sunt. Cùm Sacerdos benedicit, populus respondet, *Amen.* Ambros. in Psalm. 40. *Sicut enim cùm Sacerdos benedicit, populus respondet, Amen. Confirmans benedictionem sibi, quam plebi Sacerdos à Domino deprecatur, ita in Psalmo responsum est, Fiat, Fiat, quasi Amen, Amen.*

Retransmisit Romam Ampliatum Presbyterum, & Vicedominum suum. Vicedominus est Vicarius Episcopi in temporalibus, can. *Diaconum.* can. *Volumus.* 89. dist. can. *Salvator.* 1. qu. 3.

Ingressus est Constantinopolim in vigilia Domini nostri JESU-CHRISTI. Vigiliæ cum jejunio præcedunt majores solemnitates, putà Nativitatis Domini, Pascha, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ, Joannis Baptistæ, Apostolorum: inde dictæ, quia orationis causâ in his de nocte solebant celebrari vigiliæ, cap. *Quæsivit. de V. S.* Ambros. serm. 60. de fest. Pasch. & Pentecost. *Tunc enim sicut modò fecimus, jejunavimus Sabato, vigilias celebravimus orationibus pernoctantes instituimus.* Gregor. de Mirac. D. Martin. lib. 2. cap. 25. *Nam cùm in venerabili Dominicæ Nativitatis nocte sacrosanctis deducta excubiis, procedentes de Ecclesia ad basilicam Sancti ire destinaremus.* Ambros. de Virginib. lib. 3. *Dies factus est Petrus, dies Paulus: nox fuit, cùm pauciores ad vigilias convenerunt.* Sed licèt desierint vigiliæ, mansit nomen, & in vigiliis jejunium. Auctor sermon. ad fratres in Eremo serm. 25. de nativitate Joannis Baptistæ: *Hæc autem festivitas non solùm apud fideles, sed apud infideles vigiliam habet: in hoc festo maximè Pagani infideles ad Ecclesiam suam conveniebant vigilantes, sed destructis vigiliis illis, adhuc tamen antiquitatis nomen tenemus, quia dum jejunamus, vigiliam nuncupamus.*

Tunc adunatus Clerus rogaverunt Narsetem, ut unà cum ejus suggestione rogarent Principem. Suggestio est inductio, admonitio. Anastas. supr. eod. *Tunc Romani fecerunt suggestiones suas contra Vigilium.* Idem in Joann. III. *Tunc Romani invidiâ ducti suggestionem fecerunt Justiniano & Sophiæ.* Et infr. *Vt cognovit Joannes Papa, quia suggestionem suam ad Imperatorem contra Narsetem misissent.* Suggerenda idem est. Victor Uticens. de persec. Vandalic. lib. 2. *Nullum invenit remedium imminens calamitas, nisi à sancto Eugenio rationabilis, si cor barbarum moveretur, suggerenda daretur tali textu conscripta.* Et infr. *Et quia secundo responso suggerendam me promisi oblaturum.*

IN

IN PELAGIO.

EODEM tempore Narses & Pelagius Papa consilio inito, data Litaniâ à sancto Pancratio, cum hymnis & canticis Spiritualibus venerunt ad sanctum Petrum Apostolum. Litania seu processio solemnis indicta per Pelagium ab æde sancti Pancratii ad basilicam S. Petri Apostoli. Pestis depellendæ causâ solemnem Litaniam indixit Gregorius I. de quo Gregor. ipse lib. 2. epist. in Præf. Gregor. Tur. lib. 10. cap. 1. Paul. Diac. de gest. Longobard. lib. 3. cap. 25. Joan. Diacon. lib. 1. cap. 25. Litaniarum usum laudavit Justinianus Novella 123. cap. 22. Solemnis Litania per singulas hebdomadas die Sabati indicta ab Honorio. Anastas. in Honorio: *Hic fecit constitutum in Ecclesia, & decrevit ut per omnem hebdomadam Sabato die exeat Litania ab beatum Apollinarem, & ad beatum Petrum Apostolum, cum hymnis & canticis populus omnis occurrere debeat.*

Pelagius tenens Evangelia & crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendens, satisfecit cuncto populo & plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium. Pelagius in ambone, id est, pro suggestu Ecclesiæ, se purgavit de nece Vigilii per SS. Evangelia & crucem Domini. Similiter Leo III. de objectis sacramento se purgavit, adhibitis 12. Episcopis, in ambone Ecclesiæ. Anastas. in Leone III. can. *Auditum.* can. *Omnibus.* 2. qu. 5. can. *Nos si.* ead. caus. qu. 7. & Sixtus III. à quodam Basso accusatus in Synodo se purgavit, can. *Mandastis.* 2. qu. 5.

IN JOANNE III.

HIC constituit ut oblationes, amulæ vel luminaria in eisdem cimiteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur. Oratoria erant in cœmiteriis Urbis, in quibus sacrificium missæ per singulas dies Dominicas celebrari solebat: idcirco ne sumptus deesset, Joannes III. constituit, ut oblationes, id est, panis qui offerendus erat sacrificii causâ, hamæ seu amulæ, id est, urceoli quibus continetur vinum & aqua ad Sacrificium missæ, & luminaria, id est, cerei ministrarentur de Lateranis, id est, de Lateranensi basilica. Idem constitutum à Gregorio III. Anastas. in ejus Vit. *Iisdemque institutis disposuit, ut in cimiteriis circumquaque positis Romæ in die natalitiorum eorum* (id est, SS. Apostolorum &

Martyrum) *luminaria ad vigilias faciendas, ut oblationes de Patriarchio, per oblationarium deportarentur ad celebrandas missas, per quem præviderit Pontifex, qui pro tempore fuerit, Sacerdotem.*

IN BENEDICTO.

SEPULTUS est in basilica beati Petri Apostoli in secretario. Secretarium est sacrarium Ecclesiæ, in quo vasa sacra asservantur. Græci σκευοφυλάκιον appellant, Syn. Laodicen. can. 21. Agath. can. 66. can. *Non oportet.* 1. & 2. 23. dist. Sulpic. Sever. dialog. 2. *Præteriens ergo Martinus in secretario Ecclesiæ habuit mansionem.* Gregor. Tur. lib. 5. cap. 18. *Nos collecti in unum sedebamus in secretario basilicæ beati Petri, &c.* Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib. 3. cap. 26. *Juxta cujus absidam, bicameratam domum ad thesaurum Ecclesiastici ministerii recondendum extruxit, quæ videlicet domus Secretarium appellatur.* Ante secretarium sepultus est Gregor. I. Anastas. in ejus Vit. *Et sepultus in basilica beati Petri Apostoli ante secretarium.* In secretario stabant Rom. Pontifices proceſſuri ad Ecclesiam. Idem in Adriano II. *Hinc sanctissimo Papæ Adriano cum Episcopis & proceribus, in secretario sanctæ Mariæ Majoris juxta morem sanctæ Sedis Apostolicæ residenti, se satis humiliter præsentarunt, dona & epistolas obtulerunt.* Aliàs secretarium est Prætorium judicis, L. 3. C. *Ubi Senator, vel clariss.* Ambros. serm. 4. *Sed fortè judicem metuis, quem in secretario reliquisti.* Augustin. de serm. Domin. in monte cap. 21. *Quemadmodum etiam & in hac ordinatione Reipublicæ, vel à secretario, vel à Prætorio judicis extramittitur, qui in carcerem traditur.* Symmach. lib. 10. epist. 36. *Cùm examinandos vitus Bassi Præfecti Urbis potestas vicaria ad secretarium commune prodidisset.*

IN PELAGIO II.

HIC ordinatur absque jussione principis, eo quòd Longobardi obsiderent civitatem Romanam. Idem Sigebert. in Chronic. ad ann. 581. & Paul. Varnefrid. de gest. Longobard. cap. 20. Ex consuetudine Rom. Pontifices non solebant ordinari sine assensu Imperatoris CP. can. *Agatho.* 63. dist.

IN BONIFACIO III.

HIC obtinuit apud Phocam Principem, ut Sedes Apostolica beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum. Id est, Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Bonifacius III. impetravit à Phoca, ut Ecclesia Romana prima omnium Ecclesiarum diceretur, quia Constantinopolitana se primam jactabat propter Imperii sedem illuc translatam. Sigebert. in Chronic. ad ann. 607. Otho Frising. Chronic. lib. 5. cap. 16. Aymoin. lib. 4. cap. 4. Lupold. Babeng. de jur. Regni. c. 1.

Hic fecit constitutum sub anathemate, ut nullus Pontifice vivente, aut Episcopo civitatis suæ, præsumat loqui de successore, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus, adunato Clero & filiis Ecclesiæ: tunc electio fiat, &c. Bonifacii III. decretum est, ne Rom. Pontificis electio fiat, nisi post tertium diem depositionis, id est, sepulturæ defuncti, can. *Nullus.* 79. dist. cap. *Bonæ memoriæ. de elect.*

IN BONIFACIO IV.

EODEM tempore petiit à Phoca Principe templum, quod appellatur Pantheon, in quo fecit Ecclesiam sanctæ Mariæ semper Virginis, & omnium Martyrum. Hæc Ecclesia dicta est sanctæ Mariæ ad Martyres. Anastas. in Paulo: *Ipse verò hoc agnito fugit in Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, quæ vocatur ad Martyres.* Sic dicta, quia Pontifex Kalendis Novembris celebrandam ibi instituit solemnitatem omnium Martyrum, quæ postea transiit in solemnitatem omnium Sanctorum. Sigebert. in Chronic. ad ann. 609. *Hic Pantheon Romæ à Phoca Imperatore impetratum vertit in Ecclesiam sanctæ Mariæ & omnium Martyrum, quæ postea crescente religione Christiana decreta est fieri in honore omnium Sanctorum.* Hanc posteriores Rotundam vocarunt. Bertoldus Constantiensis Presbyter in Chronic. ad ann. 1087. *Guibertus verò hæresiarcha, non magis ab incœpta perversitate cessavit, imò se apud sanctam Mariam ad Martyres, quam Rotundam dicunt, incastellavit.*

IN DEUSDEDIT.

ET *datâ Rogâ militibus, pax facta est in tota Italia.* Roga est erogatio quæ à Principe donationis vice fiebat militibus. Anastas. in Severino: *Quando & Rogæ vestræ, quas Domnus Imperator vobis per vices mandavit, ubi sunt à sancto viro reconditæ.* Gregor. lib. 2. epist. 32. *Theodosiani verò qui hîc remanserunt, Rogam non accipientes, vix ad murorum custodiam se accommodant.* Ubi dixi. Roga etiam est erogatio quæ à Rom. Pontificibus fiebat Clero, vel plebi. Anastas. infr. eod. *Hic dimisit pro obsequiis suis & ad omnem Clerum Rogam unam integram.* Idem in Bonifac. V. *Hic Clerum amavit, Rogam integram Clero suo dedit. Hic dimisit omni Clero pro obsequiis suis Rogam unam integram.* Idem in Joanne IV. *Hic dimisit omni Clero Rogam integram.* Idem in Eugenio: *Rogam Clero solitam tribuit.* Idem in Leone III. *Hic verò Rogam Clero suo in Presbyterio maximè ampliavit.*

Hic constituit secundam missam in Clero. Unica missa publica, id est, solemnis, diebus Dominicis celebrari solebat, can. *Et hoc. de consecr.* dist. 1. De quo Dionys. Areopag. epist. ad Demophil. Joan. Mosch. Limonar. cap. 27. Alteram missam celebrari instituit Leo P. ne nimis arctaretur populus, unius missæ more servato, can. *Necesse. de consecr.* dist. 1. & post eum Deusdedit P. secundam Missam in Clero, id est, in Ecclesia Romana instituit, teste Anastasio hîc, quia fortè consuetudo unius Missæ publicæ nondum desierat in Ecclesia Romana, quæ semper antiquitatis tenacior fuit.

IN BONIFACIO V.

HIC *constituit, ut testamentum valeat secundùm jussionem Principis.* Decreto Bonifacii V. sancitum, ut testamenta condita secundùm jussionem Principis, id est, secundum leges, valeant.

Hic constituit, ut nullus trahatur de Ecclesia. Decretum Bonifacii V. est, ne quis per vim extrahatur de Ecclesia. Idem antè sancitum constitutione Theodosii l. 3. C. *de his qui ad Eccles. confug.* August. in Psalm. 150. *Tales compedes consolidant vobis & Episcopi manus, numquid non fugiunt in Ecclesiam compediti; & solvuntur hîc.*

Hic constituit ut Acolytus non præsumat reliquias sanctorum Marty-

rum levare, nisi Presbyter. Decretum Bonifacii est, ne Acolyto liceat reliquias Martyrum gestare, sed tantùm Presbytero. Tamen Diaconorum ministerium fuit Sanctorum reliquias diebus solemnibus ante Episcopum præferre, Conc. Brachar. III. can. 5.

Hic constituit ut in Lateranis Acolytus non baptizaret cum Diacono, sed Subdiaconi sequentes. Diaconorum erat baptizare, uti Presbyterorum. Tertull. de baptism. cap. 17. *Dandi quidem habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem.* Hieronym. ad Luciferian. *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus, per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* Bonifacii decretum singulare fuit, ne in Lateranensi basilica Diaconus baptizaret cum Acolyto, sed cum Subdiacono.

Castrum quod dicitur Luceolis. Ejusdem meminit Anast. in Gregor.

IN HONORIO.

INVESTIVIT regias januas in ingressu Ecclesiæ majoris, quæ appellantur Medianæ, ex argento. Regiæ sunt majores fores Ecclesiarum. Joannes Monach. in Vit. S. Odonis Abbatis Cluniacens. de Apro quem vocat singularem: *Ille autem omissa feritate, ut ingredienti aditus à quovis concederetur, prædictas regias diutius pulsavit, atque oris sui spuma, quo adhærere potuit, linivit.* Porta basilicaris idem est. Frodoard. in Chronic. ad ann. 820. *Rhemis in Monasterio sancti Petri ad portam basilicarem.* Idem lib. 4. Hist. Rhem. cap. 46. Majorem portam basilicæ sancti Petri regiam vocat Paulin. epist. 33. *In amplissimam glorioſi Petri basilicam, per illam venerabilem regiam, cæruleâ eminus fronte ridentem.* Anastas. in Conone: *Qui missi fuerant de exercitu, ad custodiendas regias basilicæ clausas observabant.* Idem in Gregorio III. *Ab arcu altaris usque ad regias.* Idem in Leone III. *Fecit in basilica Dei Genitricis ad præsepe in ingressu præsepii regias vestitas ex argento purissimo.*

Et formam quæ deducit aquam in lacum Sabbatenum, & sub se formam, quæ conducit aquam Tyberis. Honorius formam, id est, aquæductum deduxit ex lacu Sabatheno in Urbem, in atrium Ecclesiæ beati Petri Apostoli. Eandem restituit Adrianus I. Anastas. in ejus Vita: *Forma quæ vocatur Sabbatena, nimis confracta existens, per quam decurrebat aqua per Centenarium*

in atrio Ecclesiæ beati Petri Apostoli, &c. Eandem restituit Gregor. IV. Anastas. in ejus Vit. *Formam quæ Sabbatena nuncupatur, &c.* Forma Sabbatena est, quæ deducitur ex lacu Sabateno, qui angularius vocatur, L. *Rutilia Polla. ff. de contrah. empt.* Unde nomen, à tribus angulis, quos præ se fert via Aurelia quà ducit in Vaticanum, ut nos docuit Platina in Adriano. In atriis Ecclesiarum erant chantari seu fontes aquarum, quæ foris magno sumptu ducebantur per fistulas in usum Ecclesiarum. Anastas. in Gregorio II. *Sancti Laurentii pariter Ecclesiam foris muros sitam reparavit, atque aquam fistulis compaginatis, post multum temporis in eandem Ecclesiam reduxit.*

Fecit Ecclesiam beato Adriano Martyri in tribus Fatis, quam & dedicavit. Tria Fata locus in Urbe, cujus meminit Procop. de Bell. Gothic. lib. 9. ad fin. Quod comprobatur & alio loco Anastasii in Adriano: *In Ecclesia verò beatorum Cosmæ & Damiani in tribus Fatis vestem de stauracin fecit.* Et rursus: *Basilicam SS. Cosmæ & Damiani sitam in tribus Fatis restauravit.* Ne mihi tribuam aliena, hoc jam observavit Lacerda Adversar. cap. 149. n. 27. Fortè etiam legendum *de tribus Satis*, id est, tribus annis, juxta vulgare rusticorum, qui numerant annos per sata seu segetes. Virgil. eclog. 1.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

IN SEVERINO

HUJUS temporibus devastatum est Episcopium Lateranense à Mauritio Chartulario, & Isacio Patritio & Exarcho Italiæ, cùm adhuc electus esset Domnus Severinus. Cùm adhuc electus esset Severinus, id est, electus & nondum consecratus, Episcopium, id est, Patriarchium Lateranense, à Mauritio Chartulario, & Isacio Patritio, & Exarcho Italiæ direptum est. Vacantium Ecclesiarum res à plebe diripi solebant: quod genus prædationis levas vocabant à verbo *levare*, quod sonat tollere, à Victore III. vetitum. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. lib. 2. cap. 97. *Seditiones quas dicunt levas seu prædationes, quas hîc in Abbatis dormitione fieri solere compererat, Victor III. P. ne ultrà fieret, severissimè interdixit.* Petr. Damian. libr. 5. ep. 6. *Plebium consuetudinem fama vulgante cognovimus, ut videlicet suo defuncto Episcopo domum Episcopi hostiliter irrumpentes invadant, facultates ejus prædonum more diripiant, prædiorum domos invadant, vites insuper & arbusta bestiali immaniore s seri-*

tate succidant: quod nimirum nisi Ecclesiastici vigoris fuerit censura correctum, haud dubium quin regionibus illis repentini furoris immineat gladius. Nec desiit furor plebis Romanæ diripiendi ædes Pontificias vacante Sede. Monstrelet. Chronic. vol. 1. cap. 62 de electione Joannis XXIII. *Et tantost toute sa maison fut forcée & on emporta tout ce qu'on y trouva, & mesmement n'y demeura huys ne fenestre, que tout ne fust osté.* Basilica Lateranensis est prima è Patriarchalibus Ecclesiis urbis Romæ, sic dicta, quòd è domo Laterani conversa est in Ecclesiam. Hieronym. ad Occean. de Fabiola: *In basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio.* Basilicæ Lateranensi adjungitur Episcopium seu Patriarchium Lateranense, quia ibi fuit domicilium & palatium antiquorum Romanorum Pontificum. Anastas. in Vigilio & Stephano III. *Quo audito, Augusta misit Anthemium Scribonem cum jussionibus suis, & cum virtute majore Romam dicens: Excepto in basilica sancti Petri parce: nam si in Lateranis atque in Palatio aut in qualibet Ecclesia inveneris Vigilium, mox imposito in navi, perduc eum usque ad nos.* Radevic. de Frideric. gest. lib. 1. cap. 10. *Vnde de Imperatore Lothario in Palatio Lateranensi super hujusmodi picturam scriptum est: Rex venit ante fores jurans prius Vrbis honores. Pòst homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.* Et Anastas. ipse in Stephano IV. *Illicque oratione ab Episcopo data juxta antiquitatis morem tributemque pacem omnibus, in Lateranense introduxerunt Patriarchium.*

Et sigillaverunt omne vestiarium Ecclesiæ, seu cymilia Episcopii. Cimelium Ecclesiæ est vestiarium, in quo sacræ vestes, vel sacra vasa & res pretiosiores Ecclesiæ custodiæ causâ reponuntur, ut interpretatur ipse Anastasius hic & infr. eod. *Quomodo ipse cum exercitu sigillasset omne vestiarium Episcopii.* Idem in Vitaliano: *Sed & vasa sacrata vel cymilia sanctarum Dei Ecclesiarum tollentes nihil dimiserunt.* Paul. Varnefrid. de gestis Longob. libr. 5. cap. 11. *Nam & vasa & cimelia sanctarum Dei Ecclesiarum, imperiali jussu & Græcorum avaritia sublata sunt.*

IN THEODORO.

INTARTIZAVIT adversus Isacium Patritium. Mauritius Chartularius dicitur intartizasse adversus Isacium Patritium & Exarchum Ravennatem. *Intartizare* est insurgere, rebellare adversus Principem. Anastas. in Adeodato. *Hujus temporibus Mezentius qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali, intartizavit, & arripuit re-*

gnum auctor rebellionis. Hinc intarta Anastas. in Deusdedit : *Qui egressus de Roma venit Neapolim, quæ tenebatur à Ioanne Compsino intarta.* Idem in Adeodato : *Et multi ex judicibus ejus truncati perducti sunt Constantinopolim, simul & caput ejusdem intartæ, id est, Mezentii.* de quo antea. Ductum à Græco ἀντάειν.

Misit Donatum Magistrum Militum, & Sacellarium suum ad civitatem Romam cum exercitu. Sacellarius fuit inter officia aulæ Constantinopolitanæ : is fuit Præfectus fisci quasi Sacellarius, à sacello quod est diminutivum sacci, quo nomine fiscus significatur. Augustin. in Psalm. 146. *Fiscus enim saccus est, unde & fiscellæ & fiscinæ dicuntur.* Et infr. *Fiscus saccus est publicus.* Inter officia Ecclesiæ Romanæ censetur & Sacellarius, ut in Ordin. Roman. & apud Anastas. in Gregor. II. in Adrian. I. & Leone III.

Fugit Mauritius ad Beatam Mariam ad Præsepe, quem tollentes de Ecclesia, miserunt boiam in collum ejus. Boia vinculi genus Festo. Arnold. Lubec. in suppl. Helmoldi libr. 2. cap. 26. *Cumque Episcopus facta aspersione, ad eos devenisset, boiam aquâ benedictâ miseratione ductus asperserit, his usus verbis : Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos ; & statim eum magno strepitu boia discrepuit.* Hinc inboiati pro vinctis. Anastas. infr. eod. *Similiter & omnes qui consilio cum ipso fuerant, inboiatos misit Ravennam.* Et rursus : *Illos autem qui cum ipso directi fuerant, omnes inboiatos jussit arctâ custodiâ in carcerem mitti.*

Videns autem Isacius caput Mauritii gavisus est, & fecit ad exemplum multorum in Circo Ravennate in stipitem poni. Damnatorum capita ad exemplum in stipite proponebantur. Beda Hist. libr. 3. cap. 12. *Porro caput & manus cum brachiis à corpore præcisas jussit Rex qui occiderat, in stipitibus suspendi.* Damnatorum capita, ut perduellium, missa ad Principem. Anastas in Adeodato : *Et multi ex judicibus ejus truncati perducti sunt Constantinopolim, simul & caput ejusdem intartæ.* Idem in Gregor. II. *Cujus abscissum caput Constantinopolim, ad Principem missum est.* Mauritii caput spectaculi causâ in stipite positum in Circo. Martyres traducti per amphitheatrum, & ibidem mactati. Euseb. lib. 5. cap. 1. Hieronym. de sacris Script. cap. 17.

Ipsis temporibus venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Patriarcha CP. in urbem Romam ad limina Apostolorum. Frequens fuit peregrinatio fidelium ad limina Apostolorum. Anastas. in Leone IV. *Cùm ipse undique Christianum populum ad Principis Apostolorum sacratissima orationis causâ vel gratiâ limina destinari cerneret.* Sidon. libr. 1. epist.

epist. 5. *Inter hæc patuit & Roma conspectui, cujus mihi non solùm formas, verùm etiam naumachias videbar ejusdem eputaturus, ubi prius quam vel pomœria contingerem, triumphalibus Apostolorum liminibus affusus, omnem protinus sensi membris malè fortibus explosum esse languorem.* Odo Cluniacens. Vit. S. Geraldi Comitis libr. 2. cap. 17. *Consuetudinem sibi fecerat, ut Romam frequentius adiret.* Gregor. VI. in oratione ad Cardinales apud Continuatorem Bedæ libr. 2. cap. 26. *Securi peregrini insuetas viarum tenebant orbitas, lecti per urbem, antiquis oculos pascebant miraculis, cantantes donis factis repatriabant.* Hinc securitatis causâ Romipetæ, sub protectione Sedis Apostolicæ positi, & ex constitutione Callixti II. si quis Romipetas visitantes limina Apostolorum ceperit, excommunicatur, can. *Si quis Romipetas.* 24. qu. 3.

Fecit eum munera erogare in populum, & Cathedram ei poni juxta altare, honorans eum in Sacerdotem regiæ Civitatis. Largitionis causâ sparsio nummorum solet fieri in plebem à Romano Pontifice. Anastas. in Leone IV. *In omnes qui aderant huic celebritati, in assumptione sc. B. Mariæ Virginis plures argenteos erogavit.* Pyrrho olim CP. Romam venienti honoris causâ hoc concessit Pontifex, ut largitionem faceret in plebem.

Eodem tempore revelata sunt corpora sanctorum Martyrum Primi & Feliciani, quæ erant in arenario sepulta viâ Numentanâ. Revelatio Martyrum solemni celebritate colitur. Ambros. in Psalm. 118. serm. 6. *Celebramus enim diem quo revelata sunt populis corpora sanctorum Martyrum.* Ea fuere corpora SS. Gervasii & Prothasii. Translatio & elevatio reliquiarum fiebat cum majori solemnitate. De iisdem Martyribus Ambros. epist. 85. *Quid multa. condivimus integra, ad ordinem transtulimus, vespere jam incumbente ad basilicam Faustæ, ibi vigiliæ tota nocte, manus impositio: sequenti die transtulimus ea in basilicam, quam appellant Ambrosianam. Duos transferimus, cæcus sanatus est.* Cujus rei testis est & August. libr. contra Petilian. epist. cap. 16.

IN MARTINO.

UT *& clementissimo Principi suaderet typum exponere.* Typus est pragmaticum Edictum, Nov. 113. cap. 1. Syn. VI. in Trull. can. 38. τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις. *Civiles ac publicos typos* Et Balsamo in can. 12. Syn. Calched. τὰ βασιλικὰ θεσπίσματα, θεσμικοὶ τύποι λέγονται. *Imperialia Edicta pragmaticæ*

formæ dicuntur. Hinc Anastas. inf. eod. *In quo typo omnes omnino voces sanctorum Patrum, cum nefandissimorum hæreticorum dictionibus enervavit.* Et infr. *Et si quidem inveneris provinciam ipsam consentientem in typo à nobis expositio.* Et infr. *Quia factus est à nobis orthodoxus typus.* Typi etiam sunt pacta pacis inter Principes. Paul. Diaconus libr. 19. *Destruxit autem & pacem cum Bulgaribus fixam, perturbans typos, qui à patre ordinabiliter facti sunt.*

Ipse in lite præsumere studuit in tantum, ut altare sanctæ nostræ Sedis, quod erat in domo Placidiæ sacratum, in venerabili oraculo subvertens diriperet. Oraculum pro oratorio. Anastas. infr. in Agathone: *In oraculo beati Petri Apostoli intra Palatium.* Et rursus: *Intra oraculum sancti Petri intra Palatium.* Idem in Sergio: *In oraculum beati Cæsarii Martyris Christi.*

Quatenus minimè totius corpus catholicæ Ecclesiæ nocibilis eorum ectheseos languor disrumpere valeat. Ecthesis à Græco ἔκθεσις, defectio, solutio membrorum, tabes, ecthesis, φθίσις, morbus sonticus: de quo in L. 1. §. *Sed screndum.* ff. *de Ædil. edict.*

Et fecit Synodum secundùm institutum Patrum orthodoxorum, in Ecclesia Salvatoris juxta Episcopium Lateranense. Plerumque Synodi Romanæ celebratæ fuere in Ecclesia Lateranensi, quæ dicta est Constantiniana à conditore, quia condita est à Constantino. Anastas. in Sylvestro, & infr. hoc loco: *Qui tollentes sanctissimum Martinum Papam de Ecclesia Salvatoris, quæ & Constantiniana dicitur.* Eadem dicta est Salvatoris, quia dicata est Salvatori, & habuit fastigium argenteum, quod habet in fronte Salvatorem sedentem in sella. De ea Petr. Damian. libr. 2. epist. 1. *Lateranensis Ecclesia sicut Salvatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est electorum, ita mater & quidam apex, & vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Hæc septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum sacrosanctum illud Altare licet accedere, ac divini cultus mysteria celebrare.*

Sedentibus Episcopis & Presbyteris, adstantibus Diaconis & Clero universo. In Concilio Episcopi & Presbyteri sedent, Diaconi adstant, ex Con. Laodic. can. 20. can. *Non oportet.* 93. dist. Jo. Chrysostom. in Matth. Homil. 33. Ἀλλ' σε κάθηται ὁ προεστώς, ἀλλὰ σὲ ἕστηκεν ὁ διάκονος, πόνων καὶ ταλαιπωρούμενος. *Causâ tui Presbyter sedet, causâ tui stat Diaconus, laborans & afflictus.* Conc. Romanum de imaginibus colendis à Gregorio III. habitum, residentibus Episcopis & Presbyteris, adstantibus Diaconis. Anastas. in ejus Vit.

Nam dum communionem ei porrigeret sanctissimus Papa, voluit eum crudeliter interficere, ut demandarat suo Spathario. Spatharius est qui gestat gladium Principis. Franci spatham vocant. Aymoin. libr. 1. cap. 12. *Et extensa manu Franciscam ejus terræ dejecit, quæ spatha dicitur.* Anastas. in Gregor. II. *Spatham atque ensem deauratam.* Inde Spatharius & Protospatharius. Anastas. in Sergio: *Deinde Zachariam immanem suum Protospatharium cum jussione direxit.* Et infrà: *Zacharias Spatharius perterritus.* Idem in Gregorio II. *Marianus imperialis Spatharius, qui Romanum Ducatum tenebat.* Cassiodor. 3. Var. epist. 43. Officium Spatharii fuit spatham Imperatoris evaginatam præferre. Annal. Franc. *Ante ejus tribunal, spatha nuda more imperiali præferebatur.*

Et non est permissus videre Pontificem, quando Exarcho communionem porrexit, vel pacem dedit. Episcopus vel Pontifex pacem dat, id est, benedictionem. Ambros. de excess. Satyri: *Procedamus ad tumulum, sed prius ultimum coram populo vale dico, pacem prædico, osculum solvo.* Jo. Chrysostom. in Matth. Homil. 29. ἡ γὰρ δὲ ἐκκλησία ὁ εἰρήνην. *Nam & in Ecclesia Præsul pacem præstat.*

IN EUGENIO.

UT etiam die transitus sui pauperibus vel Clero, seu familiæ Presbyteria in integrum erogari præciperet. Eugenius in die mortis, Clero & pauperibus, & familiæ Presbyteria erogari præcepit, id est, annonas, quales erogari solent Presbyteris. Anastas. in Zachar *Hic dilexit Clerum suum valde, atque Presbyteria eis annue in duplo & amplius tribuit.* Modus annonarum Presbyterorum & Clericorum erat varius pro dignitate ordinis: qui major est ordine, potior esse debet in portione percipienda, cap. *Statuimus. de majorit. & obed.* Benedictionem vocat Anastas. in Conone: *Hic dimisit omni Clero & Monasteriis benedictionem in auro, sicut prædecessor ejus Benedictus Papa.*

Hujus temporibus Petrus Patriarcha Constantinopolitanus direxit synodicam epistolam ad Sedem Apostolicam juxta consuetudinem priorem omnino obscurissimam & ultra regulam. Romani Pontifices & Patriarchæ sub initio solebant mittere synodicam epistolam ordinationis suæ ad Imperatorem & Patriarchas, & Patriarchæ ad Sedem Apostolicam. Anastas. in Vitaliano: *Hic direxit Responsales suos cum synodica juxta consuetudinem, in regiam urbem apud piissimos*

Principes significans de ordinatione sua. Idem in Gregorio III. *Hic beatissimus vir, juxta ritum Ecclesiasticum, & fidei suæ sponsionem orthodoxam Synodicam Ecclesiæ misit Constantinopolitanæ, simulque & aliam suggestionem dirigens serenissimo Constantino Principi.*

In basilica sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præsepe. Basilica sanctæ Mariæ, quæ dicitur ad Præsepe, est una è quinque Patriarchalibus Ecclesiis Urbis, una ex septem quæ solemni ritu visitari solent, sic dicta à sacello præsepis in ea posito. Anastas. in Gregorio II. *Hic Gerontocomium, quod past abfidam sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe, situm est Monasterium instituit.* Primùm dicta est basilica Liberii à conditore; id est Liberio P. qui eam condidit, ex Anastasio in ejus vit. à Sixto III. restituta & B. Mariæ Virgini dicata, dicta est basilica S. Mariæ: tum à sacello præsepis dicta est ad Præsepe. De quo Anastas. in Gregor. III. *Fecit & ibidem in Oratorio quod Præsepe dicitur, imaginem auream Dei Genitricis.* Idem in Leone III. *Fecit in basilica Dei Genitricis ad Præsepe in ingressu præsepii regias vestitas ex argento purissimo.* Tandem eadem dicta est basilica sanctæ Mariæ Majoris. Idem in Gregorio IV. *Et in ea sanctum fecit præsepium ad similitudinem præsepii sanctæ Dei Genitricis, quod appellatur Majoris.* Idem in Sergio II.

IN VITALIANO.

Et ipsa die ambulavit Imperator ad sanctum Petrum, adorationem, & donum ibi obtulit. Imperator ingrediens Romam, mox orationis causâ properat ad basilicam Petri, & dona offert. Augustin. in Psalm. 140. *Imperator venit Romam, quo festinat ad templum Imperatoris, an ad memoriam Piscatoris.* Idem in Psalm. 65. *Sed melius est, ut Romam cùm venerit Imperator, deposito diademate, ploret ad memoriam Piscatoris, quàm ut Piscator ploret ad memoriam Imperatoris.*

Dominico die processit ad sanctum Petrum cum exercitu suo, omnes cum cereis exierunt obviàm ei, & obtulit super altare illius pallium auro textile, & celebratæ sunt Missæ. Imperatori basilicam sancti Petri adeunti Clerus occurrit cum cereis, & Imperator ex more dona obtulit. Occursûs honor Imperatoribus & Principibus Ecclesiam ineuntibus impensus ab Episcopis & Clericis, & Imperator sacris interesse non solet sine oblatione. De quo fusè lib. 1. de Ducib. & Comit. cap. 17.

Item Dominico die fuit statio ad sanctum Petrum. Stationes die Dominico fiebant. Stationes erant statæ preces, quas fideles stantes faciebant in singulis Ecclesiis urbis Romæ, præcipuè die Dominico, in memoriam Dominicæ Resurrectionis. Tertull. de Coron. milit. *Jam & stationes, aut alii magis faciet, quàm Christo, aut & Dominico die quando nec Christo.*

Et Ecclesiam beatæ Mariæ ad Martyres, quæ de tegulis æreis erat cooperta, discooperuit. Tectum basilicæ sanctæ Mariæ ad Martyres fuit è tegulis æreis. Majores basilicæ teguntur ære, vel plumbo. Hinc Stephan. Tornac. epist. 165. *Anglico plumbo teguntur Ecclesiæ, nudantur Romano.* Trullum, id est, fastigium Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani, plumbeis chartis, id est, tabulis tectum. Anastas. in Sergio: *Trullum verò ejusdem Ecclesiæ fusis chartis plumbeis cooperuit, atque munivit.* Idem in Gregor. III. *Item in basilica sanctæ Dei Genitricis quæ ad Martyres dicitur, tectum vetusta incuria demolitum, purgari fecit ad purum, & cum calce abundantissima, seu cartis plumbeis, à novo restauravit.* Basilica S. Mariæ ad Martyres est ea quæ Rotunda vocatur. Bertoldus Constantiens. in Chronic. ad ann. 1087. *Guibertus verò hæresiarcha non magis ab incœpta perversitate cessavit, imò se apud S. Mariam ad Martyres, quam Rotundam dicunt, incastellavit.*

Talem afflictionem posuit in populo Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ per diagrapha seu capita, atque nauticationes. Itali, Siculi & Afri gravati per descriptiones & capita, id est, capitationes seu census capitis. Descriptio fiebat census capitis imponendi causâ; quæ dicebatur census: capitatio est census capitis, vectigal quod imponitur personis, L. *Si minor. C. de act. empt.* L. 1. C. Th. *De fugitiv. colon.* Augustin. Quæst. nov. Test. cap. 75. *Didrachma capitum, vel tributi exactio intelligitur non prædiorum, quod nunc pannosum aurum appellatur, quia & pauperes exiguntur.* Et hoc distat tributum à capitatione: tributum est census prædiorum, capitatio est census capitis. Tertull. Apologet. cap. 13. *Sed enim agri tributo onusti viliores, hominum capita stipendio censa ignobiliora.* Hinc informe tributum vocat Sidon. carm. 7. *Foscatque informe recidi vectigal.* Nauticatio est onus præstandarum navium, quod provincialibus imponebatur. M. Tull. Verrin. 5. *Idcirco navem Mamertinis non imperasti, quòd sunt federati.* Nec solùm naves imperabantur, sed & milites & remiges, stipendia & cibaria. Livius libr. 26. *Edixerunt Consules, ut privato ex censu ordinibusque, sicut antea remiges darent cum stipendio cibariaque dierum 30.*

IN ADEODATO.

ET Deo auxiliante interemptus est nec dicendus Mezentius. Mezentius nec dicendus, nec nominandus, quia per tyrannidem arripuit regnum in Sicilia Idem de Macario Antiocheno Patriarcha, qui depositus est ob hæresim in Synodo VI. in Trull. Anastas. in Agathone: *Cumque post hæc adhortatus est nec dicendus Macarius a sancta Synodo.* De Sarracenis idem Anastas. in Joanne V. *Pacem constituit cum nec dicenda gente Sarracenorum.* Idem in Gregorio II *Illis interea diebus Constantinopolis biennium. est à nec dicendis Agarenis obsessa.* De Philippico hæretico idem eodem loco: *A Philippico nec dicendo.* Idem in Stephan. III. *Iuxta quod à præfato nec dicendo Aistulpho tyranno fuerat directus.* Idem in Leone III. *Obviàm illi sine planeta iniquus nec dicendus Paschalis Primicerius occurrit.*

Sed & casalia conquisivit. Casalia sunt prædia suburbana. W. Tyrius de bell. sacr. libr. 4. cap. 19. *Recesserant etiam à nobis per illos dies, nostri domestici, & suburbanorum nostrorum, quæ casalia dicuntur, habitatores.* Jacob è Vitriaco Occidental. Histor. libr. 2. cap. 2. *Non solùm civitates & oppida, sed etiam casalia repleverant.* Anastas. ipse in Adriano: *Civitatem Ravennatium & casales ac omnia prædia Ravennatia, & alios plures fundos, seu casales & massas.* Et infr. *Cum fundis & casalibus.* Idem in Paschali: *Hospitale cum fundis & casalibus atque massis.*

Per letanias quæ quotidie fiebant. Letaniæ indictæ pluviæ arcendæ gratiâ, quandoque indictæ inundationis causâ. Anastas. in Gregor. II *Per dies autem septem aquæ Romam tenebat pervasam. A Domno itaque Papa letaniæ crebrò fiebant.* Aliàs pro gratiarum actione pacis. Anastas. in Zachar. *Et sic regressus est, Deo propitio, cum victoriæ palma in hanc urbem Romam, qui & omnem populum aggregans, eos est allocutus, ut ad persolvendas omnipotenti Deo gratiarum actiones, ab Ecclesia Dei Genitricis, quæ vocatur ad Martyres, egressi omnes cum letania generaliter properarent ad beatum Principem Apostolorum; & ita factum est.* Aliàs pro impetrando auxilio adversus hostes. Anastas. in Stephano. III. *Hic Beatissimus vir pro salute provinciæ & omnium Christianorum, omni sabbathorum die letaniam omni postposito neglectu fieri statuit.*

IN DONO.

HIC reperit in urbe Roma in Monasterio quod appellatur Bœtianum, Nestorianitas Monachos Syrios, quos per diversa Monasteria divisit. Monachi lapsi in hæresim pœnitentiæ causâ transferuntur in arctiora Monasteria, Can. *Si Episcopus.* 50. dist. Can *Delapsis.* 16. qu. 6. Eadem est pœna Clericorum. Anastas. in Leone II. *Verumtamen suprascripti defensores malorum hæreseos, dum nollent à suo recedere proposito, per diversa Monasteria sunt retrusi.*

Hujus temporibus Ecclesia Ravennatum, quæ se ab Ecclesiæ Romanæ segregaverat, causâ autocephaliæ denuo se pristinæ Sedi Apostolicæ subjugavit. Reparatus Archiepiscopus Ravennas S. di Apostolicæ se subjecit. Ante eum Archiepiscopi Ravennates ita intumuerant, nixi privilegio Constantis Cæsaris, ut Episcopos sibi subjectos ipsi consecrarent, & à tribus suæ ditionis Episcopis consecrarentur, neque ullam confirmationem peterent à Rom. Pontifice. De quo Hier. Rubeus Hist. Ravenn. libr. 4. ad ann. 648.

Apparuit stella a parte Orientis à galli cantu usque mane per menses tres. Galli cantus pro media nocte. Anastas. in Leone II. *Et nisi post galli cantum cœpit paulatim delimpidare.*

Pro quo capitulo. Capitulum hîc est res vel causa, quia causa est caput rei. Anastas. in Zacharia: *Et alia quæ sponderat capitula.* Aliàs capitulum est quæstio de re certa. Anastas. in Gregorio II. *Inquisitus de quibusdam capitulis, optima responsione unamquamque solvit quæstionem.* Interdum capitulum est articulus litis, ut in L. penult. §. 1. C. *De rebus credit. & jurejur. Causa vel capitulum decidatur.* Et §. *His de præsentibus* ejusdem leg. *Aliis vel capitulis, vel litis membris.* Caput est summa cujusque rei. Plaut. in Asinar. *Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.* inde diminutivum capitulum. Capitulum etiam sumitur pro servo. Servi non habent caput, id est, statum seu personam; sed dicuntur habere capitulum, quasi minores capite, seu capite minuti. Plaut. in Asinar. *Scribam huic te capitulo hodie facturum satis pro injuria.* Idem in Curculion. *Vbi quid subripuere, operto capitulo calidum bibunt.*

IN AGATHONE.

H.I.C. ultra consuetudinem Arcarius Ecclesiæ Romanæ effectus est, & per semetipsum causam Arcariæ disposuit, emittens videlicet desuscepta, per nomenclatorem manu sua obumbrata: qui infirmitate detentus Arcarium juxta consuetudinem instituit. Theodorus Arch. Ravennas præter consuetudinem Arcarius Ecclesiæ Romanæ factus est. Arcarius Ecclesiæ Romanæ est Præfectus Ærarii Ecclesiæ Romanæ. Arcarii sunt præpositi Arcæ seu Ærario Principis, L. ult. C. *De suscept. præposit. & Arcariis.* De quib. Sidon. libr. 7. cap. 7. *Arcariis pondera, mensuras allectis.* Hieronym. in epist. ad Roman. in illa verba, *Salutat vos Erastus Arcarius civitatis: Hic Arcarium ex Arcario dicit.* Ravennas dicitur functus officio Arcarii per se emittens per nomenclatorem desuscepta seu suscepta. Suscepta vel desuscepta sunt securitates susceptæ pecuniæ vel annonæ fiscalis, quæ dantur solventibus à susceptoribus, de quibus est tit. 6. libr. 10. id est, præpositis suscipiendis annonis vel tributis. Gregor. libr. 8. epist. 10. *Post subditam desuscepto paginam.* Idem epist. 44. ejusd. libr. *De cæteris verò rebus, quæ apud nos sunt, pro memoria futuri temporis ex eisdem susceptum emittite.* Ait, per nomenclatorem. Inter officia Ecclesiæ Romanæ fuit nomenclator. Ordo Roman. *Post equum verò hi sunt qui equitant, Vicedominus Vestiarius, Nomenclator atque Sacellarius.* Annal. Franc. ad ann. 802. *Hujus factionis fuere principes Pascalis Nomenclator & Campulus Sacellarius.* Anastas. in Constantino: *Cosmus Sacellarius, Sisinnius Nomenclator.* Archiepiscopus Ravennas Pontificiæ dignitatis æmulus, suum habuit Nomenclatorem, ut patet ex hoc loco. Etiam in officio magistratuum fuit Nomenclator. Symmach. libr. 10. epist. 43. *Is cùm à me insequente tuitionis auxilium popoposcisset, & unius Nomenclatoris ut in urbe pacata, adminiculo fretus incederet.*

Ut etiam de Palatio caballos stratos dirigeret. Legatis Pontificiis caballi strati diriguntur, honoris causâ. Caballus pro equo: hinc Caballarii Equites. Otho Frisingens. de gest. Frideric. I. libr. 1. cap. 24. *Sed de Caballariis nobilitatis tuæ.* Caballicata equitatus. Luitprand. libr. 3. cap. ult. *Quumque eodem pervenisset, & caballicatas ut vulgò aiunt, circum circa dirigeret.* Et caballicare idem est quod equitare. Idem libr. 2. cap. 4. *Ex dicto Burkardi Comitis, si Italienses omnes uno uti tantùm modo calcari, informesque non fecero equas caballicare*

caballicare, non sum Burkardus. Et Anastas. ipse in Conone: *Sed & pallio ad caballicandum uti licentiam ei concessit.* Pallio ad caballicandum uti à Justiniano permissum Constantino Diacono Rectori patrimonii Siciliæ, id est, equo strato pallio; quod non congruebat Clericis, cap. *Clerici de vit. & honest. Cleric.* Bern. ep. 42.

In basilica quæ Trullus appellatur intra Palatium. Synodus VI. celebrata est Constantinopoli in Trullo. Trullus est Palatium Imperatoris, ut refert Auctor hîc & in Leone II. Synodus habita est in secretario basilicæ quæ cohæret Trullensi Palatio. Anastas. hîc: *Alia die catholicæ Fidei Defensor pius Princeps in secretario residens, &c.* Et infr. eod. *Sequenti die in eodem secretario residente Synodo.*

Post hæc Patritii, Ypati omnesque inclyti introierunt. Ὕπατοι Græcis sunt Consules. Suidas ὕπατοι οἱ τῶν Ρωμαίων πολιτείαν διοικοῦντες. *Consules qui Rempublicam Romanam administrant.* Inclyti sunt Senatores. Anastas. in Constantino: *Cum Patritiis & omnibus inclytis.* Veteribus inclyti Summates. Plaut. in Pseudol. *Viris cum summis inclytæ amicæ.* Idem in Persa: *Jovi opulento inclyto, ope gnato.*

Et vocato Georgio Diacono & Chartophylace Ecclesiæ Constantinopolitanæ, præceptum est ei, ut juxta eorum notitiam Codices ex Bibliotheca Ecclesiæ ad medium deduceret. Chartophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ erat custos chartarii seu archivi Ecclesiæ. De quo Codin. de offic. Magistri Ecclesiæ cap. 1. Balsamon libr. 7. Jur. GR. de Cartophylac. Idem ad can. 18. Conc. Nicæn. & Meursius in Glossar. in verbo Καρτουλάξ.

Eâ horâ sancta Synodus unâ cum Principe ejus orarium auferri jusserunt à collo ejus, & exiliens Basilius Episcopus Cretensis Ecclesiæ, ejus orarium abstulit, & anathematizantes projecerunt eum foris Synodum. Macarius Antiochenus Patriarcha ob hæresim depositus in Synodo Trullensi, per ademptionem orarii. Eodem modo Constantinus Antipapa depositus per demptionem & fractionem orarii. Anastas. in Stephano IV. *Iterum præfatus Constantinus ad medium allatus est, lectisque sacratissimis Canonibus, ita depositus est. accedens enim Maurianus Subdiaconus, orarium de ejus collo abstulit, & ante pedes ejus projecit, & compages ipsius abscidit.* Solemnis depositio Episcoporum fiebat detractione insignium, quæ in ordinatione conferuntur, putà orarii, annuli, baculi: ex Conc. Tolet. IV. can. 27. Can. *Episcopus* 11. qu. 3. Benedictus Sedis Apostolicæ invasor à Leone VIII. depos-

tus per abscissionem pallii, & fractionem ferulæ pastoralis, salvo Diaconatu. Regino 2. Chronic. *Tunc Leo Apostolicus coadunata multorum Episcoporum Synodo eumdem Benedictum Romanæ Sedis invasorem judicio omnium ab invaso gradu deposuit, & Pontificale pallium quod sibi imposuerat, abscidit; ferulamque pastoralem manu ejus abreptam, coram omnibus in frusta confregit, & ad preces Imperatoris Diaconatûs ei tantùm gradu uti concessit.* Eodem jure Formosus Portuensis Episcopus Sedi Apostolicæ incubator, mortuus è sepulcro detractus à Sergio Ro. Pontifice, & demptis Pontificiis vestibus, tribusque digitis abscissis in Tyberim projectus. Luitprandus libr. 1. cap. 8. *Nam Formoso defuncto, is qui post mortem Formosi Papa constitutus est, expellitur, Sergiusque Papa per Adelbertum constituitur, quo constituto, ut impius, doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum à sepulcro extrahere, atque in Sedem Romani Pontificatus, sacerdotalibus indumentis indutum collocare præcepit, cui & ait: Quum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpasti? His expletis, sacratis mox exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tyberim jactare præcepit.* Idem Leo Ostiens. libr. 1. cap. 9. Sic depositio Magistratuum fit ablatis codicillorum insignibus, L. *Judices.* C. *De dignit.* Et hoc est quod ait Jo. Chrysostom. in epist. ad Roman. cap. 53. reos damnatos priusquam supplicio afficiantur, spoliari ornamentis dignitatis suæ. ἀποδύονται τῆς ἀξιωμάτων πομπῆς. Et exauctoratio Militum fit detractis insignibus militaribus, L. 2. ff. *De his qui not. infam.* cap. 2. *De pœn.* in 6. id est, cingulo seu balteo & calcaribus, ut observatum est in degradatione Andreæ Hercle militis Anglici ob defectionem ad Scotum, de qua Thomas Walsingan in Eduardo II. ad ann. 1323. *Nempe primò degradatus est amputatis securi ad talos suos calcaribus, & sic vicissim discinctus est baltheo militari ablatis calceis & chirothecis.* Similiter & restitutio Episcoporum fit redditis insignibus Pontificiis, d. Can. *Episcopus.*

Deinde abstulerunt de dyptichis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi ubi esse poterant, auferentes, id est, Cyri, Sergii, Pauli, Pyrri, Petri, per quos error orthodoxæ fidei usque nunc pullulavit. In eadem Synodo nomina Patriarcharum damnatorum ob hæresim sublata de dypticis Ecclesiæ, & imagines eorum è foribus vel aliis locis Ecclesiæ ubi erant, erasæ. Sic ubi Joannes Chrysostomus depositus est, nomen ejus demptum è dypticis Ecclesiæ, sed post mor-

tem ejus ab Attico successore restitutum. Socrat. libr. 7. cap. 25. Theodorit. libr. 5. cap. 34.

Imagines Patriarcharum Schismaticorum sublatæ. Uti & tyrannorum imagines. Ambros. de interpellat. cap. 9. *Vide quemadmodum in civitatibus bonorum Principum imagines perseverent, deleantur imagines tyrannorum.* Idem in Psalm. 38. *Hic si quis tyranni imagines habeat, qui jam victus interit, jure damnetur.* Idem de Offic. libr. 1. cap. 49. *Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi.* Philippici Imperatoris hæretici imago à Romanis in Ecclesiam non admissa. Anastas. in Constantino: *Hisdem temporibus cùm statuisset Populus Romanus nequaquam hæretici Imperatoris nomen aut chartas vel figuram solidi suscipere, unde nec ejus effigies in Ecclesiam introducta est, nec suum nomen ad Missarum solemnia proferebant.*

Hic suscepit divalem jussionem secundùm suam postulationem, ut suggessit, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda. Romani Pontifices coacti sunt, ut & minores Episcopi, certam pecuniæ quantitatem præstare Regibus Gothorum pro confirmatione. Cassiod. libr. 8. epist. 35. Pulsis Gothis onus semel impositum facile stetit apud Imperatores Græcos. Et hoc turpe onus se subiisse dolens tradit Gregor. in 4. Psalmo pœnitential. & Joann. Diaconus in ejus Vit. libr. 1. cap. 39. Nec meliùs actum est cum secutis eum Pontificibus, donec hoc onus remissum est Agathoni à Constantino Pogonato, ut refertur hîc, unde sumptus est Can. *Agatho.* 63. dist.

IN LEONE II.

LINGUA quoque Scholasticus. Scholasticorum appellatione intelliguntur Advocati, propter eloquentiæ studium, quod in Scholis delibatur, L. 2. C. *De lucr. Advocat.* libr. 12. ab Officialibus Scholasticis. Syn. Sardic. can. 12. ἢ σχολαστὴς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς. *Aut Scholasticus de foro.* Basil. epist. 241. εἰ δὲ τινα δίκην γυνὴ ἕλκει ὁ σχολαστὴς ὁ δεῖνα ἢ δικαστήριον δημόσιον ἢ νόμος. Augustin. contra Julian. libr. 2. *Numquid Scholastici auditoriales, id est, postulantes in auditorio Judicum.* Aliàs Scholasticus accipitur pro diserto. Augustin. de catechiz. rudib. cap. 9. *Sedulò monendi sunt scholastici, ut humilitate induti christiana, discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia, quàm verborum amplius devitare.* Idem in Joann. cap. 7. *Qui enim habent causam, &*

volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem scholasticum juris peritum, à quo sibi preces componebantur, &c. Idem de Tempore serm. 78. *Et quia imperiti & simplices ad scholasticorum altitudinem non possunt ascendere.* Salvian. de gubernat. Dei libr. 1. in præf. *Non id facere adnisi sunt, ut salubres ac salutiferi, sed ut scholastici ac diserti haberentur.*

Hujus temporibus percurrente divali jussione clementissimi Principis restituta est Ecclesia Ravennatis sub ordinatione Sedis Apostolicæ, ut defuncto Archiepiscopo, qui electus fuit, juxta antiquam consuetudinem in civitatem Romanam veniat ordinandus. Constitutione Constantini Pogonati Ecclesia Ravennatensis restituta est ordinationi Sedis Apostolicæ, ita ut Archiepiscopus electus ordinandus esset à Romano Pontifice. Jam antè tempore Doni P. Reparatus Archiepisc. Ravennas se subjecerat ordinationi Sedis Apostolicæ, ut refert Anastas. in Dono: *Hujus temporibus Ecclesia Ravennatum quæ se ab Ecclesia Romana segregaverat causâ autocephaliæ, denuo se pristinæ Sedi Apostolicæ subjugavit.* Sed postea tempore Leonis II. ut res tutior esset, Constitutione Constantini Pogonati cautum est, ut Archiepiscopus Ravennas electus, ordinationem seu consecrationem peteret à Romano Pontifice, quia ex privilegio Constantis Cæsaris à tribus Episcopis ditionis suæ ordinabatur, & pallium petebat à Cæsare. Hieronym. Rubeus Hist. Ravennat. libr. 4.

Hic fecit constitutum quod archivo Ecclesiæ continetur, ut qui ordinatus fuerit Archiepiscopus, nullam consuetudinem pro usu pallii aut diversis officiis Ecclesiæ persolvere debeat. Maurus Archiepiscopus Ravennas concedente Constante Cæsare, ita se & successores subduxit à Sede Apostolica, ut Episcopos sibi subjectos ipse ordinaret, & à tribus suæ Provinciæ Episcopis ordinaretur, neque confirmationem peteret à Romano Pontifice; verùm pallium à Cæsare acciperet. Hieron. Rubeus Hist. Ravenn. lib. 4. Archiepiscopo Ravennate redeunte in fidem & obsequium Sedis Apostolicæ, edictum à Leone II. est, ut pallium peteretur à Ro. Pontifice, & ne eo nomine ulla consuetudo, id est, census persolveretur. Pro concessione pallii nihil dari vel accipi debet, can. *Novit.* 100. dist.

Sed & ne Mauri quondam Episcopi anniversitas, aut agenda celebretur, sed & typum autocephaliæ quem sibi elicuerant, ad amputanda scandala Sedis Apostolicæ restituerunt. Leo II. vetuit ne dies anniversarius ordinationis Mauri Archiepiscopi Ravennatis Schis-

matici, qui valde infensus fuit Sedi Apostolicæ, teste Rubeo loco laudato, celebraretur; & ne agenda, id est, Missa pro defuncto fieret. Anniversarius dies ordinationis Episcoporum solebat celebrari, can. *Solemnitates.* 1. & 2. *de consecr.* dist. 1. Augustin. de verb. Dom. sermon. 32. *Dies anniversarius ordinationis Domini Senis Aurelii crastinus illuxerit; rogat & admonet per humilitatem meam, charitatem vestram, ut ad basilicam Fausti devotione venire dignemini.* Episcoporum etiam annua agenda, id est, Missa pro defunctis solebat celebrari. De Episcopis Londinensibus sepultis in Ecclesia S. Pauli testatur Beda Hist. Anglic. lib. 1. cap. 3. *Habet hæc in medio pæne sui altare in honorem Beati Gregorii Papæ dedicatum, in quo per omne sabbathum à Presbytero loci illius agendæ eorum solemniter celebrantur.* Agenda est solemne sacrificium pro defunctis. Petrus Cluniacens. lib. 2. epist. 17. de obitu matris: *Tandem luctuosa oratione finita, agendam incœpi.* Anniversarium sacrificium pro defunctis celebrandi usum commendat Tertullian. de Monogam. *Et offert annuis diebus dormitionis ejus.* Utrumque & anniversarium ordinationis & obitus demptum est Mauro Archiepiscopo, quia in schismate vita functus est. Typus, id est, forma principalis autocephaliæ per Arch. Ravennatem à Principe impetratus, restitutus Sedi Apostolicæ, ne recidivæ litis materia esset. Forma autocephaliæ est, quæ dicitur causa autocephaliæ, id est, exemptionis. Anast. in Dono, loco mox laudato. Αὐτοκέφαλοι sunt qui superiorem non agnoscunt: iidem dicti ἀκέφαλοι. Hinc acephali dicti Clerici, qui nulli parent Episcopo. Syn. Paris. apud Gratian. can. *Nulla.* 93. dist. *Tales acephalos, id est, sine capite priscæ Ecclesiæ consuetudo nominavit.* Conc. Mogunt. 1. can. 22. *De Clericis vagis, seu de acephalis, id est, his qui sunt sine capite, neque in servitio Domini nostri, neque sub Episcopo, neque sub Abbate.* Goffrid. Vindoc. lib. 2. ep. 27. *Acephali non sumus, quia Christum Salvatorem caput habemus, & post ipsum Romanum Pontificem.*

IN BENEDICTO II.

FECIT *coopertorium super altare cum clavis & fastellis, & in circuitu palergium chrysoclavum.* Palergium est Phrygium, opus quod erat antiquum, à Græco παλαὶ & ἔργον. Anastas. infrà eod. *Et in circuitu palergium de holoserico. Fastella,* malè pro hastillis. Hastillæ erant radioli aurei vel argentei. Anastas. in Leone III. *Sed & super altare majus fecit tetra vela holoserica alithi-*

na quatuor cum aſtillis & roſis chryſoclabis. Leo Oſtienſ. Chron. Caſſ. lib. 2. cap. 103. *Cum aſtili enichino.* Bulenger. de Rom. Pontifice lib. 1. cap. 45. Alibi haſtilia ſunt vitium adminicula. Plin. lib. 17. cap. 23. *Gracilitate ſingularum vitium firmata circumligatis haſtilibus.* vulgò *échalats.*

Hic ſuſcepit divales juſſiones clementiſſimi Conſtantini Magni Principis ad venerabilem Clerum & populum, atque felicisſimũ exercitum Romanæ civitatis, per quas cõceſſit ut perſona, qui electus fuerit ad Sedẽ Apoſtolicã, è veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur. Ex cõſtitutione Conſtantini Pogonati conceſſum, ut libera ſit electio Rom. Pontificis, & electus mox ordinetur, non expectato aſſenſu Imperatoris. Ex antiqua conſuetudine Rom. Pontifex non ſolebat ordinari, niſi priùs obtento aſſenſu Imperatoris CP. Tempore Agathonis remiſſum eſt quidem vectigal quod ſolebat præſtari pro ordinatione Pontificis; ſed manſit onus expectandi aſſenſum Principis, can. *Agatho.* 63. diſt. donec hoc onus remiſſum eſt hac conſtitutione.

Hic unà cum Clero & exercitu ſuſcepit mallones capillorum Domni Juſtiniani & Heraclii filiorum clementiſſimi Principis, ſimul & juſſionem per quam ſignificat eoſdem capillos direx eſſe. Conſtantinus Pogonatus obtulit Benedicto P. mallonem capillorum filiorum, ut eis eſſet per adoptionem pater ſpiritualis. Ex more Longobardorum adoptio fiebat per tonſuram capillorum Aymoin. Monach. lib. 4. cap. 57. *Pepigerat autem fœdus Carolus Martellus Princeps cum Luitprando Langobardorum Rege, eique filium ſuum Pipinum miſit, ut more fidelium Chriſtianorum ejus capillum primus attonderet, ut pater ille ſpiritualis exiſteret.* Idem Paulus Diacon. de geſt. Longobard. lib. 6. cap. 13. Mallones capillorum ſunt circi capillorum, à Græco *μαλλὸς*, quod Latinè ſonat vellus. Noſtris, *treſſes de cheveux.* Cincinnorum fimbrias dixit M. Tull. in Piſonem: *Erant illi comti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ.*

Hic dimiſit omni Clero, Monaſteriis, Diaconiæ, & Manſionariis auri libras triginta. Similiter Anaſtaſ. in Joanne V. *Hic dimiſit omni Clero, Monaſterio, Diaconiis & Manſionariis ſolidos mille & nongentos.* Idem in Gregorio II. *Hic dimiſit omni Clero, Monaſteriis, Diaconiis & Manſionariis ſolidos duo millia.* Rom. Pontifices Eccleſiis & Monaſteriis & Diaconiis & Manſionariis nummos erogare ſolebant. Diaconiæ ſunt ſtationes, ſeu loci pii à Pontificibus conſtituti, in quibus annonæ diſtribuebantur egentibus. Plures fuiſſe in urbe locuples, teſtis eſt Anaſtaſ. in

Adriano : *Constituit Diaconias tres foras portam Beatorum Apostolorum Principis.* Idem in Gregorio III. *Item Diaconiam SS. Sergii & Bacchi , & concedens omnia , quæ in usum Diaconiæ exiſtunt , ſtatuit perpetuo tempore pro ſuſtentatione pauperum in Diaconiæ miniſterio deſervire.* De quibus plura dixi in Gregorium lib. 4. epiſt. 24. Manſionarii ſunt æditui , ſeu cuſtodes ſacrarum ædium , de quibus fusè in eundem Gregor. lib. 3. epiſt. 51. Ideo à Romanis Pontificibus his erogati ſolebant pecuniæ ad tutelam & refectionem ſacrarum ædium.

IN JOANNE V.

HIC poſt multorum Pontificum tempora vel annorum juxta priſcam conſuetudinem à generalitate in Eccleſia Salvatoris , quæ appellabatur Conſtantiniana , electus eſt , atque exinde in Epiſcopio introductus. Ex antiqua conſuetudine electio Romani Pontificis ſolebat fieri in Eccleſia Salvatoris , quæ eſt Baſilica Lateranenſis ; & Palatium Lateranenſe , quod eſt junctum Baſilicæ , erat Sedes Pontificum. Anaſtaſ. ipſe in Conone : *Clerus quidem adunatus ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ ſuſtinebat , &c.* Idem in Stephano III. *Quem omnes ſincera mente cum laudis præconiis in Baſilicam Salvatoris , quæ appellatur Conſtantiniana , deportaverunt ; & exinde intus venerunt , in Patriarchium juxtà morem intromiſerunt.* Hinc rejecta eſt electio Urſicini facta in Schiſmate contra Damaſum , quòd facta eſſet ἐν ἀσυχρύφῳ τόπῳ , in Baſilica ſcilicet Scicinini. Socrat. lib. 4. cap. 24. Ammian. lib. 27. id eſt, in loco inſolito.

Necnon & alias divales juſſiones relevantes annonæ capita patrimoniorum Siciliæ & Calabriæ non pauca. Eccleſia Romana habebat ampliſſimum patrimonium in Calabria & Sicilia , quod præſtabat onus capitationis , ſicut cætera prædia utriuſque Provinciæ. Leo Imperator Siciliæ & Calabriæ impoſuit tributum in capita, φόρους κεφαλικούς. Cedreno in Leone. Sed hoc onus remiſſum eſt conſtitutione Conſtantini Pogonati. Annonæ capita dixit pro capitatione , quia imponitur in ſingula capita , ut capita dicuntur pabula jumentorum , quia præſtantur militibus juſtis capitibus, id eſt , pro modo capitum , L. *Provincialium.* C. *de erog. milit. ann.* lib. 12. Ammian. lib. 22. *Pabula jumentorum vulgò dictitant capita.* Tempore Cononis à Juſtiniano II. defenſoribus patrimonii Eccleſiæ Romanæ , quod erat in Brutiis & Luca-

nia, remissa sunt etiam annua annonæ capita quæ præstabantur. Anastas. in Conone: *Hujus temporibus pietas imperialis relevavit per sacram jussionem suam ducenta annonæ capita, quæ patrimonii Custodes Brutiis & Lucaniæ annua persolvebant.*

Propter transgressionem ordinationis Ecclesiæ Turritanæ, quam sine auctoritate Pontificis fecerat Citonatus Archiepiscopus Caralitanus. Sardinia insula fuit proprietatis Ecclesiæ Romanæ ex donatione Constantini. Anastas. in Sylvestro. Hinc Rom. Pontifex sibi vindicavit ex consuetudine ordinationem Episcoporum Sardiniæ, neglecto Caralitano Archiepiscopo, qui est Metropolitanus: sed quia Caralitanus jure Metropolitico intendebat se habere jus ordinandi Episcopos totius Insulæ, ab hoc jure suspensus est, id est, interdictus constitutione Martini. Et quia Episcopus Turritanus ordinatus fuerat à Caralitano Metropolita sine consensu Rom. Pontificis, ejus ordinatio irrita dicta est.

IN CONONE.

UT restituatur familia suprascripti patrimonii, quæ in pignore à militia detinebatur. Familia patrimonii Ecclesiastici est grex servorum, qui addicti erant agri colendi causâ. Servi Ecclesiæ, imò & liberti, id est, servi manumissi dicuntur de familia Ecclesiæ, Can. 8. 12. qu. 2. ut liberti privatorum dicuntur de familia patroni, L. *Cùm Pater. §. Fidei. de legat. 2.*

Hic ultra consuetudinem absque consensu Cleri in antipatia Ecclesiasticorum Constantinum Diaconum Ecclesiæ Syracusanæ Rectorem in patrimonio Siciliæ constituit. Ex consuetudine Subdiaconi Ecclesiæ Rom. mittebantur à Pontifice, non sine consensu Cleri ad regimen patrimonii Ecclesiæ Rom. in Sicilia, Can. *Pervenit.* 11. qu. 1. Can. *Valde necessarium.* 94. dist. Hinc notatur Conon, quòd præter consuetudinem, sine consensu Cleri, patrimonio Ecclesiæ Romanæ in Sicilia Rectorem imposuerit Diaconum Ecclesiæ Syracusanæ.

IN SERGIO.

HIC tempore Presbyteratûs sui impigrè per cimiteria diversa Missarum solemnia celebrabat. In cœmiteriis erant oratoria, seu altaria, in quibus fiebant stationes & conventus Christianorum orationis causâ, & Missæ celebrabantur. Anastas. in

Gregor.

Gregor. III. *Item in cimiterio sanctæ Petronillæ stationem annuam dari instituit.* Hinc tempore Decii vetitum Christianis, ne in cœmiteria pedem inferrent. Pontius Diaconus in Vit. Cyprian. apud Surium Sept. 14. *Præceperunt etiam ne in aliquibus locu conciliabula fiant, nec cœmeteria ingrediantur.* Populum Alexandrinum ne communicaret cum Georgio pseudoepiscopo orationis causâ in cœmiterium secessisse narrat Socrates lib. 2. cap. 23. τῇ ἑβδομάδι μετὰ τὴν ἁγίαν πεντηκοστὴν ὁ λαὸς νηστεύσας ἐξῆλθε πρὸς τὸ κοιμητήριον εὐξόμενος. *Hebdomade enim quæ est post sanctam Pentecosten, populus cùm jejunasset, orationis causâ, egressus est ad cœmiterium.* Idem Theodorit. lib. 2. cap. 14.

Et ingressus denominatum sanctissimum electum salutavit, ac osculatus est. Theodoro & Paschali in concursu electis, Sergius schismatis solvendi causâ electus, Theodorus unus è duobus in schismate electis, ad Sergium accessit per adorationem & osculum. Cardinales & Episcopi admittuntur quasi fratres ad osculum Summi Pontificis, imò & ipsi Abbates exempti, Cap. *Cùm olim. de privileg.* Episcopi etiam propter reverentiam ordinis admittuntur ad osculum Principis. Ambros. epist. 27. de legatione ad Maximum Tyrannum Treviris sedentem: *Vbi sedit in consistorio, ingressus sum, assurrexit ut osculum daret.* Hilar. Pictav. contra Constantium: *Osculo Sacerdotes excipis, quo & Christus proditus est.* Laïci in ordinatione Rom. Pontificis osculantur pedes. Anastas. in Valentino: *Ac deinde condignis gloriæ laudibus, & honoris amplitudine ad Lateranense Patriarchium ab ipsis deductus, & in Pontificali est positus throno, cujus ovanter ab omni Romanorum Senatu, pedibus osculatis, &c.* Etiam Cardinales in ordinatione Pontificis demittunt se ad osculum pedum. Radevic. de gest. Frideric. lib. 2. cap. 66. *Deinde sicut mos est, Domini Cardinales & Clerus Romanus, totus qui præsens erat, & qui postea confluxerat, populique Romani pars maxima pedes ejus osculati sunt.* Et Petrus Damiani Cardinalis & Hostiensis Episcopus consultus de Cadalono Antipapa, & Alexandro II. uter verus Pontifex judicandus esset, lib. 3. epist. 4. *Manus do*, inquit, *plantas osculor, & non modò ipsum Apostolicum, sed etiam Apostolum, si jubetis, appello.* Etiam ipsi Imperatores osculantur pedes Pontificis. Constantini Pontificis pedes osculatus est Justinianus II. de quo Anastas. in Constantino: *In die autem quâ se invicem viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite sese prostravit, pedes osculans Pontificis.* Siginolfus Princeps Beneventanorum à Sergio II. benedictionem suscepit, priùs oscu-

latus pedes Pontificis. Anastas. in Sergio II. *Quem Præsul cùm susceptisset, solo prostratus, pretiosos ipsius pedes humiliter osculatus est, & ab eo benedictione susceptâ, ab ejus conspectu egressus est.* Denique in electione Rom. Pontificis mos antiquus fuit osculandi pedes electi. Idem in Leone IV. *Qui morem conservantes antiquum, omnes osculati sunt pedes.* Idem in Benedicto III. *Et procedentes vestigia ipsius osculari cœperunt.*

Prædictus verò Paschalis, non post multum tempus, & ab officio Archidiaconatus, pro aliquibus incantationibus & lucis quos colebat, vel sortibus quas cum aliis respectoribus tractabat, Dei beatique Apostolorum Principis Petri interveniente judicio privatus est. Paschalis Archidiaconus Ecclesiæ Romanæ depositus ob aliquas incantationes, & cultum lucorum quos colebat cum aliis respectoribus, id est, cultoribus. Erant qui ad arbores vel fontes vota & preces faciebant. Syn. Altiss. can. 3. *Non licet inter sentes, aut arbores sacrivos, vel ad fontes vota exolvere.* Respectare, verbum frequentativum, idem quod colere, cum reverentia respicere. Velleius Paterc. lib. 2. *Impetratoque ut manum contingeret, reversus in naviculam sine fine respectans Cæsarem, ripæ suorum appulsus est.* Inde respectores.

Missus in locellum, quod scebrum chartale vocitatur, in hanc Romanam urbem ad confirmandum. Scebrum est horreum, inde emendandus Ingulphus in Chronic. Croyland. *Cœpit, largiente Domino, bonis omnibus abundare, ut tam in thesauris ac scauris, quàm in terris ac tenementis, ei pro primis amissis duplicia postmodum redderentur.* Pro *scauris*, lege *scebris*, vel *scearis*.

Imperator Sergium Magistrianum in spretum prænominati Pontificis Romam mittens. Magistriani sunt agentes in rebus, sic dicti, quia inter officia palatina militabant sub dispositione Magistri officiorum. Ambros. de Offic. lib. 2. cap. 27. *Legebatur rescripti forma directio Magistri officiorum statuta, agens in rebus imminebat.*

Oratione itaque facta, sigillum expressum abstulit, locellum aperuit, in quo interius plumacium ex holoserico superpositum, quod stauracis dicitur, invenit. Capsa argentea, in qua erat portio ligni Crucis Dominicæ, sigillo erat obsignata. Thecæ reliquiarum solebant sigillo obsignari. Gregor. Turon. de Mirac. Martyr. lib. 1. cap. 33. *Veniens verò Abbas, ablato ab armario sigillo, capsam reperit obseratam.* Ligno crucis superpositum erat plumacium ex holoserico. Plumacium erat velum è panno serico, in modum plumarum avium contexto. Ambros. epist. 27. *Cùm de eo convenirem Comites ejus, ne sine veste, sine plumatio paterentur extrudi senem.* Et hoc est quod

vocabant opus plumarium seu plumatile. Plautus in Epidico: *Cumatile, aut plumatile.* Plumatum. Perron. in Satyric. *Plumato amictus aureo Babylonico.* Greg. Turon. de Mirac. Martyr. lib. 1. cap. 97. *Extat mensa niveis velata mantilibus, opere plumario exornata.* Inde plumarii sunt artifices, qui id genus vestis contexunt, L. 2. Cod. *de excus. artific.* lib. 10. Jul. Firmic. Mathes. lib. 3. cap. 10. *Linteones aut plumarii.* Idem cap. 13. ejusd. libri: *Facient linteones, aut tunicarum textores plumarios.* Et hoc genus vestis pretiosissimum fuit. Vopiscus in Carino: *Quid lineas peritas Ægypto loquar, quid Tyro & Sydone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles.* Nec modò vestes, imò & loricæ solebant contexi squammis seu laminis ferreis in modum plumarum. Virgil. 11. Æneid.

Quem pellis ahenis
In plumam squammis, auro conserta tegebat.

Et vela ante fores ædium plumario opere texta poni solebant. Anastas. in Gregorio IV. in fin. *Et velum ante januas linteum plumatum unum.* Ait ex holoserico quod stauracis dicitur. Vela de stauracio sunt vera è serico vel purpura variis floribus, vel figuris intexta, quæ è Tyro petebantur: unde & Tyria dicta. Anastas. *De stauracis seu Tyria.*

De qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ clausæ erant. Petalum à Græco πέταλον, est corona aurea quam gestabant Sacerdotes, vel qui erant è genere Sacerdotum, ut Joannes Apostolus & Jacobus frater Domini. De Joanne Euseb. lib. 3. cap. 25. ὡς ἱερεὺς τὸ πέταλον φορικώς. *Cùm esset Sacerdos, petalum gestavit.* De Jacobo Epiphan. in Panar. Hæres. 29. ἀλλὰ καὶ τὸ πέταλον ἔσχε τῆς κεφαλῆς ἐξὸν αὐτῷ φέρειν.

Et ineffabilem portionem salutaris ligni dominicæ Crucis invenit, quæ etiam ex die illo pro salute humani generis ab omni populo Christiano die exaltationis sanctæ Crucis in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, osculatur ac adoratur. In die exaltationis Crucis dominicæ solemnis instituta est adoratio Crucis per osculum in basilica Lateranensi. Pagani etiam solebant osculari signa deorum: inde signa deorum videbantur trita osculis. Lucret. lib. 1.

Tum portas propter ahenas
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu præterque meantum.

Trullum verò ejusdem Ecclesiæ fusis chartis plumbeis cooperuit, atque munivit. Trulla vas vinarium concavum. M. Tull. Verr. 6. *Eras*

etiam vas vinarium, ex una gemma pergrandi. Apitius de Re culin. lib. 4. *Quotquot lagana posueris, tot etiam trullas impleto, desuper adjicies vinum.* Hinc detrullare eidem paulò antè, pro è trulla diffundere. *Et in patella alternis detrullare convenit.* Trulla excavata cum manubrio aureo. Hinc Trullus dici potuit fornix seu camera Ecclesiæ, quia erat in modum Trullæ, & inde Trullus nomen palatii Imperatoris Constantinopoli. Tectum Ecclesiæ è chartis, id est, tabulis plumbeis. Anastas. in Gregor. III. *Item in basilica sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Martyres dicitur, tectum vetustâ incuriâ demolitum, purgari fecit ad purum, & cum calce abundantissima seu chartis plumbeis à novo restauravit.*

Basilicam sanctæ Aureæ in Ostiis. Hæc est basilica S. Aureæ Virginis & Martyris in ostiis Tyberis. Martyrol. R. 24. August. *Apud Ostia Tyberina sanctæ Aureæ Virginis & Martyris.* Hinc emendandus locus mendosus Anastas. in Leone III. *Sarta tecta verò Ecclesiæ beatæ Aureæ sitæ in Ostia, omnia noviter reparavit.* Lege *Aureæ.* Hanc emendationem tuetur Leo IV. in can. *Igitur.* 23. qu. 8. *Summus autem Præsul Missam in Ecclesia B. Aureæ celebravit.* Aureæ nomen tributum Petronillæ Petri Apostoli filiæ. Ejus monumento inscriptum Aureæ Petronillæ refert Sigebert. in Chronic. ad ann. 758.

Hic statuit ut tempore confractionis Dominici corporis, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, à Clero & populo decantaretur. Sergius Pontifex ab Anastasio dicitur auctor hujus instituti, ut *Agnus Dei* decantetur in celebratione Missæ. Hujus instituti meminit Alcuinus de divin. offic. cap. 40. Alii tamen volunt hoc institutum in Conc. Nicæno, quod probant ex ipso Conc. Nicæn. Arabico. Anno 1183. Mariam Virginem fabro lignario apparuisse, eique tradidisse sigillum imagine sua & Christi nati insculptum hac inscriptione circumsignatum, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*, tradit Robert. Abbas Montensis in Supplem. Sigebert.

Constituit autem ut diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis & Dormitionis sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, ac sancti Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, Litania exeat, & ad sanctam Mariam populus occurrat. Hypante seu Hypopante, Græcis est festum occursus, quod apud Latinos festum Purificationis dicitur ab occursu Simeonis. Paul. Diac. lib. 16. in Justiniano: *Et eodem anno Hypopante Domini sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium secunda die Februarii mensis.* Siffrid. Presbyt. Mis-

nens. Epitom. lib. 2. ad ann. 551. *Sub Pelagio Papa & Iustiniano Imperatore sumpsit initium apud Constantinopolim, ut ὑπαπαντὴ Domini, id est, Purificatio beatæ Mariæ Virginis solenniter celebraretur.* Idem Anastas. in Hist. *Anno decimo quinto Imperii Iustiniani Hypapanti Domini sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium die secunda Februarii mensis.*

IN JOANNE VI.

SACERDOTES apud fossatum, in quo in unum convenerant, in unum misit. Joannes Pontifex misit Sacerdotes ad compescendum tumultum militum qui erant apud fossatum, id est, in castris juxta Urbem. Fossata sunt castra militum, quia vallo seu fossa munita erant. Anastas. infr. eod. *Et usque in loco qui horrea dicitur, fossatum fecisset.* Idem in Stephano III. *Ipsi verò Franci introeuntes clusas, cunctum fossatum Longobardorum, post peractam cædem abstulerunt.* Idem in Gregorio IV. de munitione Ostiæ: *Et à foris non longè ab eisdem muris ipsam civitatem altiori fossato præcinxit.* Inde munitiones in limite dispositæ castra dicta, quia è castris initium cœpere. Annal. Franc. ad ann. 801. *Alter Sarracenus de Africa Legatus Amirali Abraham qui in confinio Africæ, in fossato præsidebat.* Etiam Prætoriæ cohortes juxta muros urbis castra posuere. Tacit. 6. Annal. de Sejano Præfecto Prætorio: *Vim Præfecturæ modicam antea intendit, dispersas per Urbem cohortes, una in castra conducendo.* Hinc Prætoriani milites, licèt in Urbe militent, pro absentibus Reipublicæ causâ habentur, L. *Milites.* L. *Qui mittuntur.* ff. *Ex quib. caus. major.*

Et illum cum suo hoste ad propria repedare fecit. Hostis est exercitus, sic dictus, quia in hostem instruitur. Aimoin. Continuator. lib. 5. cap. 22. *Sarraceni de Baira egredientes, & hostem Ludovici post tergum sequentes.* Idem cap. 28. ejusd. libri: *Inde hostem quam maximam potuit, cum Carlomanno direxit.* Villelm. Tyrius libri 9. cap. 3. *Ut interim cum suis hostibus in regno moram facere posset, allegabat.* Ivo Carnot. epist. 28. *Et excommunicatos in hostem mittere non debeo.* Paul. Varnefrid. de gest. Longobard. lib. 2. cap. 32. *His diebus multi nobilium Romanorum, ob cupiditatem interfecti sunt, reliqui verò per hostes divisi, ut tertiam partem suarum frugum Langobardis persolverent, tributarii efficiuntur.*

IN JOANNE VII.

FECIT verò & imagines per diversas Ecclesias, quas quicumque nosse desiderat in eis, ejus vultum depictum reperiet. Statuæ & imagines Imperatorum adorabantur, & passim ponebantur in templis & foro. Ambros. Hexamer. lib. 6. cap. 9. *Sola ære fusa Principum capita, & ducti vultus de ære, vel marmore, ab hominibus adorantur.* Idem de interpell. cap. 9. *Vide quemadmodum in civitatibus honorum Principum imagines perseverent, deleantur imagines tyrannorum.* Coripp. de Laudib. Justin. lib. 3.

——— *Pictus ubique*
Justinianus erat, Dominis pictura placebat,
Gaudebantque sui genitoris imagine visa.

Hujus temporibus Aripertus Rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ longa per tempora à jure Ecclesiæ privata fuerat, ac ab eadem gente destruebatur, in libris aureis exaratam jure proprio Beati Apostolorum Principis Petri reformavit. Donatio regia in Ecclesiam aureis literis scripta memoratur. Diplomata Imperatorum aurea Bulla obsignata tradit Pachymeres in Paleologo lib. 5. cap. 20. ὁ βασιλεὺς αὐτίκα προστάττει, καὶ λόγος ἐκπέμπεται χρυσοβούλλειος. *Jussu Imperatoris evulgatum statim diploma est, aurea munitum bulla.* Idem in Andronic. libr. 1. cap. 2. αἱ γὰρ διὰ χρυσοβούλλειον λόγων πίστεις. *Nam fides data diplomatibus aureâ bullâ munitis.*

Leonem etiam & Tiberium, qui locum ejus usurpaverant, cepit, & in medio Circo coram omni populo jugulari fecit. Leo & Tiberius invasores Imperii in Circo stante populo trucidati. In Circo conciones & concilia habebantur. Livius libr. 9. *Concilium populorum omnium habentibus Anagninis in Circo, quem maritimum vocant.* Ammian. libr. 28. de Populo Romano: *Eisque templum & habitaculum & concio & spes omnis Circus est maximus.* Ait, *spes omnis*, quia largitiones populares fiebant in Circo & theatro. Jo. Chrysostom. de diverst. utriusque Testam. loc. serm. de Circo. Qua de causa Imperatores imperium ineuntes procedebant in Circum largitionis causâ. Gregor. Tur. libr. 5. cap. 30. & libr. 6. cap. 30.

IN SISINNIO.

QUI & calcaria pro restauratione murorum jussit decoquere. Calcaria est fornax calcis coquendæ causâ, L. *Aut damnum. §. In calcariam.* ff. *de pœn.* Tertull. de carne Christi: *Pervenimus igitur de calcaria, quod dici solet, in carbonariam.* Anastas. in Gregor. II. *Hic exordio Pontificatus sui calcarias decoqui jussit.*

IN CONSTANTINO.

COSMUS Saccellarius, Sisinnius Nomenclator. Saccellarius & Nomenclator censentur inter Officia Ecclesiæ Romanæ. Saccellarius est custos ærarii Ecclesiæ. Anast. in Constantino: *Subdiaconus atque Saccellarius factus.* Idem in Gregor. II. *Hic sub sanctæ memoriæ Dom. Sergio Papa Subdiaconus atque Saccellarius factus.* Idem in Stephano IV. *Unà cum Sergio tunc Saccellario.* Idem in Leone III. *Similiter & Campulus Sacellarius.* Idem in Adriano II. *Ibi à Paulo librorum custode, Joseph vasorum custode, simulque Basilio Saccellario, Ecclesiasticis induti vestibus, salutati.* Et distinguitur ab Arcario. Anastas. inf. *Saulum Diaconum & Vicedominum, Petrum Arcarium.* Nomenculator est monitor, qui Pontificem monet de proprio nomine accedentium ad Rom. Pontificem. De utroque Anastas. in Agathone, ubi dixi. Saccellarius fisci est Procurator, seu Præfectus fisci. Baldric. in epist. ad Henricum III. Imp. *Et sicut liberalitas vestra Sacellarium habet, qui causis supervenientibus cotidianas expensas faciat; ita & ego Sacellarius eorum sum, &c.* Jo. Diac. libr. 2 cap. 23. *Idem Gregorius juxta consuetudinem suam præcepit Sacellario, ut duodecim peregrinos ad prandium invitaret.* Et paulò pòst: *Et accersito Sacellario, cur contra jussionem suam tertium decimum invitare præsumpserit, inquisivit.*

Sergium Abbatem Presbyterum, & Sergium Ordinatorem. Abbatem Presbyterum signat, quia ab initio singula Monasteria habebant unicum Presbyterum, suum Abbatem, à quo Sacramenta peterent, & Missam audirent. Augustin. epist. quæ est 81. scripsit *Abbati Monachorum insulæ Capreariæ & Compresbytero.* Idem de morib. Eccles. Catholic. libr. 1. cap. 33. *Vidi ego diversoria Sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat, virum optimus & doctissimus.* Joannes Hierosolymitanus Episcopus epist. quæ est

60. scribit, se ordinasse Paulinianum Presbyterum Monasterii Bethleemitici, quia B. Hieronymus ejus Monasterii Præpositus non sustinebat præ humilitate sacramenta fratribus ministrare. Anastas. infr. in Stephano III. *Fulradum Abbatem & Presbyterum.* Ordinator est Magister ordinis Missæ, vel Didascalus ordinandorum. Ordinationem præcedit instructio ordinandorum; & ordinatis traditur ab Ordinatoribus libellus officialis, quo continetur ordo, id est, ratio Ecclesiastici Officii. Conc. Tolet. IV. can. 25. Can. *Quando.* 38. dist.

Illic suscepit sigillum imperiale per Theophanium Regionarium. Sigillum imperiale hîc est præceptum Imp. sigillo munitum, ut alibi sigillum iconiæ seu imaginis Beatæ Mariæ, est inscriptio imaginis. Robert. Montens. in Supplem. Sigebert. ad ann. 1183. *Anno superiori apparuit Domina nostra mater misericordiæ sanctæ Mariæ cuidam fabro lignario opus facienti in quadam silva, & obtulit ei signum iconiæ suæ & filii sui Salvatoris nostri, cujus sic conscriptio erat:* Agnus Dei, &c.

Occurrit Theophilus Patricius Extraticus Caravisianorum, cum summo honore eum suscepit. Extraticus, lege *Stratigus Scaravisianorum.* id est, dux turmæ equestris militum. A Latino barbaro, *Scara*, quod idem est ac turma equestris. Aymoin. libr. 4. cap. 26. *Anno autem decimo Dagobertus collegit lectam è Franciæ bellatoribus scaram, quam nos turmam vel cuneum appellare possumus.* Hincmarus Remens. ad Episcopos diœcesis suæ, cap. 3. *Bellatorum acies, quas vulgari sermone scaras vocamus.* Malè *scala*, pro *scara* legitur apud Vvillelm. Britonem Philippid. libr. 10.

In scala Regis, Regi lateraliter hærent.

Inde Scaritæ milites in scaram lecti. Fredegarius in Chronic. cap. 37. *Ibique Theodoricus, cum scarittis, virûmque decem millia accessit.* Scaravisianos, seu Scaritas milites, de quibus agitur hîc, fuisse milites Francos, qui per scaras militabant stipendiis Græcorum, non levis conjectura est, quòd Francos Græcis in Oriente militasse scimus ex Cedreno in Constantino Monomacho; imò & Imperatores Byzantinos in sui custodiam Francis & Germanis usos, qui bipennes gestarent. Nicet. in Alexi Comneno.

Pontifex autem & ejus primates cum sellaribus imperialibus, sellis & frenis inauratis, simul & mappulis ingressi sunt. Sellare hîc distingu tur à sella: sellare videtur esse pallium superstratum, quòd ornatus causâ imponitur sellæ, *Housse.* Anastas. in Stepha-

no

no III. *Cui & Viceſtratoris uſque in aliquantum locum, juxta ejus ſellarem properavit.* Idem pallium vocat Anaſtaſ. in Conone : *Sed & pallio ad caballicandum uti licentiam ei conceſſit.* Pontifex & Cardinales uſi frenis & ſellis deauratis. Epiſcopos ſuæ ætatis eadem de re notat Bernard. Clarevallenſ. epiſt. 42. ad Wilelmum Senonenſem. *Clamant verò nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt : Dicite, Pontifices, in freno quid facit aurum?* Ne Clerici frenis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis utantur, vetat Conc. Lateranenſ. ſub Innocent. III. cap. *Clerici. de vit. & honeſt. Cleric.* Pontifex & Cardinales equitantes uſi ſunt mappulis in ſolemni pompa. Mappulæ ſunt linteolæ albæ, de quibus Gregor. Dialog. lib. 2. cap. 19. *Quadam verò die miſit ex more : ſed is qui miſſus fuerat Monachus, poſt admonitionem factam à Sanctimonialibus fœminis rogatus mappulas accepit, ſibique eas abſcondit in ſinu.* Et infr. *Cui ait : Numquid ego illic præſens non eram, quando ab ancillu Dei mappulas accepiſti? Qui mox ejus veſtigiis provolutus, ſtultè ſe egiſſe pœnituit, & eas, quas in ſinu abſconderat, mappulas abjecit.* Mappularum uſus communis fuit Epiſcopis & Diaconis Eccleſiæ Romanæ. Gregorius libr. 2. epiſt. 54. Unde ſumptus eſt Can. *Illud.* 93. diſt.

Apoſtolicus Pontifex cum camelauco, ut ſolitus eſt Romæ procedere, à palatio egreſſus, in Placidias uſque, ubi hoſpitatus erat, properavit. Camelaucum, ſeu camelaugum, eſt pileus quo utitur Pontifex, à Græco καῦμα, quòd profit ad arcendum calorem. Suidas : Καμηλαύκιον παρὰ τὸ καῦμα ἐλαύνειν. *Quòd calorem arceat.* Etymologic. M. Καύσια εἴρηται μὲν καμηλαύκιον, παρὰ τὸ ἐλαύνειν τὸ καῦμα. *Cauſia dicitur camelaucium, quòd arceat calorem.* Achmes Oneirocritic. cap. 219. Τὸ καμηλαύκιον δεῖ βασιλέως εἰς τιμὴν Αὐγούστων, ἢ εἰς πίνον χρίνεται. *Camelaucium Regis ad Auguſtam & ejus liberos refertur.* Camelaucum erat indumentum capitis commune Regibus & privatis, colore diverſum : ſed uſu factum eſt, ut camelaucum Romanis propriè dicatur pileus Pontificis. Papias : *Camelaucus veſtimentum Papæ.*

Hujuſque rei causâ zelo fidei accenſus omnis cœtus Romanæ urbis, imaginem, quam Græci Votaream, vel (ut alii legunt) *Pancaream vocant, ſex continentem ſanctas ac univerſales Synodos, in Eccleſia Beati Petri erexerunt.* Imago ſex univerſalium Conciliorum, quam Græci Votaream, vel Pancaream vocant, à Romana plebe erecta in Eccleſia Beati Petri. Hæc imago à Philippico Imp. Hæretico depoſita, à Theodoſio reſtituta Con-

ſtantinopoli. Anaſtaſ. in Gregor. II. *Protinus etiam ut ingreſſus eſt Theodoſius regiam urbem, imaginem illam venerandam, in qua ſanctæ erant ſex Synodi depictæ, & à Philippico nec dicendo fuerat depoſita, in priſtino erexit loco.*

Hujus temporibus duo Reges Saxonum ad orationem Apoſtolorum cum aliis plurimis venientes, ſub velocitate ſuam vitam, ut optabant, finierunt. Hic locus accipiendus eſt de Anglo-Saxonibus, anno Chriſti 689. apud *Sedente Sergio Ceadwalla, Rex Anglo-Saxonum, dimiſſo regno, venit ad limina Apoſtolorum, ut baptizaretur; & baptizatus eſt die ſabathi Paſchæ, & in albis poſitus deceſſit: & poſt eum Hun ejus ſucceſſor, cum triginta & ſeptem annis regnaſſet, & ipſe relicto regno ad limina Apoſtolorum profectus.* Et his temporibus frequens erat Anglorum peregrinatio ad limina Apoſtolorum, ut refert Beda libr. 5. cap. 7. *Quod his temporibus plures de gente Anglorum nobiles, ignobileſque, laici & Clerici, viri ac fœminæ certatim facere conſueverunt.* Idem antè tradit idem Scriptor libr. 4. cap. 23. *Etiam Romam adire curavit, quod eo temporis magnæ virtutis æſtimabatur.* Idem Anaſtaſ. in Benedict. III. *Hujus temporibus Rex Saxonum nomine causâ orationis veniens, relictu omnibus ſuis rebus, regnum proprium ſuum dimiſit, Romam properans ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli cum multitudine populi, &c.*

Et ex utriſque partibus ampliùs quàm viginti quinque plagarentur, atque interirent. Plagare eſt vulnus infligere. Auguſtin. de Civit. Dei libr. 21. cap. 11. *Laceſſivit Dominum vel plagavit.*

Donec Pontifex mitteret Sacerdotes cum Evangeliis & crucibus Domini, ſicque partes ſedarentur. Litaniæ, ſeu proceſſiones fiebant prælatis Evangeliis & crucibus. Epiſcopo occurri cum Evangelio moris erat. Ekkeard. Junior de Caſib. M. Sancti Galli, cap. 1. *Parat illico baſilicam & aram, parat tapetes, & pallio dorſili caminatam, Evangelio Epiſcopum, aliquos, qui aderant, Preshyteros recipere jubet.* Et infrà: *Poſt non multum quoque temporis, accidit Petrum etiam Veronenſem Epiſcopum à palatio redeuntem ſimili loci gratiâ inopinatum venire: fratres autem ſuſcipientes illum, quod melius quidem habebant, Evangelium ei offerebant.* Idem cap. 9. *Ad recipiendum enim Epiſcopum cum Evangelio, etiam ſi frater conſcriptus non fuerit, æquum eſſe ut pariter occurrant, omnes concordant. Suſcipitur Epiſcopus, Victor Evangelium obtulit ipſi, quod ubi ille oſculatur, Victor revertitur.* In Litaniis cruces præferri moris antiquiſſimi eſt. Ne Litaniæ ſine crucibus fiant, vetat

Nov. Justin. 123. cap. 32. In Litaniis mos erat ut crux aurea à Carolo Magno oblata præferretur ante Pontificem : de quo Anastas. in Leone IV. Occursus solemnis Cleri Principibus & Dynastis cum crucibus fiebat. Gregor. Tur. libr. 10. cap. 9. *Ebraccharius verò usque Venetias urbem accessit : miserat enim ad eum obviam Episcopus Regalis Clericos suos cum crucibus & psallentio, qui eos usque ad urbem deduxerunt.* Lothario Imperatori obviàm itum cum crucibus & signis, id est, vexillis. Anastas. in Sergio II. *Obviàm illi ejus Sanctitas dirigens, venerandas cruces, item signa, sicut mos est Imperatorem aut Regem suscipere, ita eum cum ingenti honore suscipi fecit.*

IN GREGORIO II.

HIC in Germania per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicavit, & gentem illam sedentem in tenebris, doctrina lucis convertit ad Christum. Bonifacius à Gregorio II. consecratus Episcopus, & missus in Germaniam ad conversionem gentis, fuit primus Moguntinus Episcopus. Ad Romanum Pontificem pertinet ordinatio & missio Episcoporum ad conversionem infidelium. Hoc jure à Gregorio II. in Germaniam missus est Bonifacius : à Sergio ordinatus est Wilibrodus Clemens dictus, & missus ad conversionem Frisonum, qui primus fuit Trajectensis Episcopus, de quo Anastas. in Sergio. Beda libr. 5. cap. 12. Sigebert. in Chronic. ad ann. 697. A Gregorio I. Augustinus missus est in Angliam feliciter ad conversionem Anglorum, de quo Gregorius ipse lib. 5. ep. 53. & seq. Beda lib. 4. c. 23. & seq.

Et Longobardos penè trecentos cum eorum Castaldo interfecerunt. Castaldus, vel Gastaldus Longobardis est præpositus civitatis, vel castri. Paulus Varnefrid. de gent. Longobard. libr. 5. cap. 29. *Ipsumque Alzoronem mutato dignitatis nomine, de Duce Gastaldium vocitari præcepit.* Rainerius Gastaldeus Soranæ civitatis memoratur apud Leonem Ostiensem Chronic. Cassinens. lib. 2. cap. 33. Tacipertus Castaldius, & Ramingus Castaldus Tusciæ. Anastas. in Zachar. Interdum Gastaldus pro Procuratore. Urban. II. in Can. *Salvator.* 1. qu. 33. *Defensoris nomine Advocatum, sive Castaldum & Judicem.* Pandulfus Gastaldus nominatur in inscriptione Joannis VIII. epist. 215. Idemque Judex Capuanus, in epist. ejusd. 217.

Anno præmisso in benedictionem à prædicto viro eis directis tri-

bus ſpongiis, quibus ad uſum menſæ Pontificis apponuntur. Ante annum quo Sarraceni duce Addiramen Rege in Galliam irruerunt, à Gregorio I I. Eudoni Duci Aquitaniæ, benedictionis gratiâ miſſæ ſunt tres ſpongiæ, de his quæ in uſu erant ad detergendam menſam Pontificis: his conciſis in particulas, & diſtributis militibus, quotquot eas ſumpſere, è prælio in quo Carolus Martellus & Eudo conjunctis copiis Sarracenos ad internecionem fuderunt, incolumes & illæſi evaſere. Spongiæ erant in uſu ad detergendas menſas, ut probatur hoc loco, quem illuſtrat Martial. libr. 14. epigr. 144.

Hæc tibi ſorte datur tergendis ſpongia menſis Utilis.

Vel ad extergenda pavimenta. L. *Quæſitum. §. Item pertica.* ff. *de inſtruct. inſtrum. legat.* M. Tull. pro Sextio: *Meminiſtis tum, Judices, corporibus civium Tyberim compleri, cloacas reſarciri, ex foro ſpongiis effingi ſanguinem.* Hinc virgo Ægyptia, quæ fingens ſe ſtultam, præ humilitate cæteris miniſtrabat, dicebatur σπόγγος τῆς συνοδίας, *Spongia Monaſterii.* Pallad. Hiſt. Lauſiac. c. 40.

Hic Quadrageſimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Miſſarum celebritas fieret in Eccleſiis, quod non agebatur, inſtituit. Etiam in Quadrageſima jejunium ſolvi perpetuum ab Apoſtolis inſtitutum fuit in gratiam Dominicæ Reſurrectionis. Gregor. in Evangel. homil. 16. *Quamvis ergo de Quadrageſimali tempore, eſt adhuc aliud quod poſſit intelligi: à præſenti etenim die uſque ad Paſchalis ſolennitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo ſiunt, ex quibus dum ſex dies Dominici abſtinentiæ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia quàm triginta ſex dies remanent.* Præter dies Dominicos etiam feria quinta de conſuetudine à jejunio Quadrageſimæ immunis erat; ſed Gregorius junior reſtituit jejunium etiam in feria quinta, & Miſſarum, id eſt, Officiorum ſolemnitatem per Quadrageſimam. Teſtis eſt Anaſtaſ. hîc & Microlog. de Eccleſ. obſ. cap. 50.

Caniſtra decem penſantia ſingula libras duodecim. Caniſtra erant vaſa argentea, in quibus reponebantur vaſa, id eſt, miniſteria ſacra. Anaſtaſ. in Benedicto III. *Caniſtra exafoci duo ex argento puriſſimo penſantia libras numero quatuor & ſemis.* Locus eſt valde corruptus; & ita reſtituendus videtur, caniſtra exaphodia, à Græco ἐξάφολον, quod eſt ſacrum Viaticum. Conc. Nic. can. 12. quia erant caniſtra, in quibus reponebatur Corpus Domini. Hieronym. ad Ruſticum de B. Exuperio: *Nihil illo ditius qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.* Inde re-

ſtituendus eſt alter locus depravatior Anaſtaſ. in Leone III. *Caniſtrum ex cede Caſolii penſantem libras duodecim & ſemis.* Necnon & illud ejuſdem in Paſchali : *Fecit jam prædictus Pontifex caniſtra Enaſoti ex argento duo.* Et illud ejuſdem in Gregorio IV. *Obrulit etiam caniſtra enna fodia duo.* Olim pocula menſis apponebantur in caniſtris argenteis. Servius in illum locum 1. Æneid.

Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant :

Veteribus non in manus dabantur pocula, ſed menſis apponebantur; & hodie apud plures pocula in caniſtris argenteis apponuntur, quæ caniſtra ſiccaria dicuntur.

Et ante corpus Apoſtoli poneret mantum, armilauſam, balteum, ſpatam, atque enſem deauratum, necnon coronam auream & crucem argenteam. Luitprandus Rex Longobardorum fractus Pontificis precibus ante altare D. Petri depoſuit veſtes regias & ornamenta, mantum, armilauſam, balteum & ſpatham. Mantum eſt breve palliolum, quod regit humeros, & ad manus pervenit tantùm. Iſidor. Origin. libr. 19. cap. 24. *Mantum Hiſpani vocant, quòd manus tegat tantùm : eſt enim breve amictum.* Mantum ponitur hîc inter ornamenta regia, inter Pontificia ponit Radevic. de geſt. Frideric. libr. 2. cap. 62. *Multi ex noſtris dicunt vidiſſe Cancellarium undecimo die ab Vrbe exiſſe ſine manto, ſine ſtola, ſine albo equo, & ſine omni habitus munitione, cum pellibus regio pallio coopertis, & cum nigro almutio uſque ad ciſternam.* Inter veſtes regias ponitur armilauſa. Eſt veſtis militaris, quæ armos, id eſt, humeros regit, & pertinet ad genua, ut ſit expeditior. Paulin. epiſt. 7. ad Severum : *Sibi ergo ille habeat armilauſam ſuam, & ſuas caligas, & ſuas buccas.* Idem epiſt. 13. ad eundem : *Cùm præterea facie non minùs quàm armilauſa ruberet.* Armilauſæ etymon ab armis ſignat Iſidor. Orig. libr. 19. cap. 22. *Armelauſa vulgò vocata, quòd antè & retrò diviſa, atque aperta eſt, in armos tantùm clauſa, quaſi armiclauſa, c literâ ablatâ.* Suidas : Ἀρμιλαύσιον παρὰ τὸ ὦμος, τὸ ἐπάνω τῶν ὅπλων. *Armilauſæ jungitur baltheum, quod eſt cingulum militare.* Paulin. epiſtol. 7. ad Severum : *Nec baltheo, ſed reſte ſuccincti.* Balteum oblationis causâ ſuper altare deponi moris antiqui fuit. Gregor. Tur. de Mirac. Martyr. libr. 1. cap. 61. *Igitur quodam tempore, homo devotus balteum ex auro puriſſimo cum omni apparatu ſtudioſiſſimè fabricatum ſuper altare baſilicæ illius poſuit, orans ut in cauſis ſuis Martyris virtus dignaretur adeſſe.* Ait crucem argenteam.

Imperatores crucem auream in collo gestabant. De Carolo M. testatur Ditmarus libr. 4. *Crucem auream, quæ in collo ejus pependit, cum vestimentorum parte, adhuc imputribilium sumens, catera cum veneratione magna reposuit.*

IN GREGORIO III.

NATALITIORUM Missas. Missæ natalitiorum, seu natalium Martyrum sunt Missæ diei solemnis eorum ultimi agonis, quia eo die nati sunt Christo. Anastas. in Gregorio III. *In die natalitiorum eorum, id est, SS. Apostolorum & Martyrum.* Idem in Adriano: *In natali Apostolorum, & in natali Pontificis.* Ambros. sermon. 72. *Natali, sicut dicunt, imminente vindemia, natalem ejus martyrii procuramus.* Tertull. de Coron. milit. cap. 3. *Oblationes pro defuncto, pro natalitiis annua die facimus.*

In Canone Missæ hoc adjecit. Canon Missæ est solemnis oratio, quâ conficitur corpus Domini. Ordo Rom. de sacrific. Miss. cap. 12. *Orationem quam Canonem sive actionem, propter regularem Sacramentorum confectionem, Romano more appellamus.* Et ita intelligendus est Gregor. lib. 7. epist. 63. *Quia orationem dominicam mox post Canonem dici statuistis.* Et Leo Ostiens. Chronic. Cassin. lib. 2. cap. 94. *Cumque ad eum Canonis locum pervenisset, quo virorum solent recenseri nomina.*

Quam institutionem in eodem oratorio tabulis lapideis conscribere fecit, in quo faciens pergulam, contulit dona diversarum specierum. Gregorius Pontifex condidit oratorium juxta Basilicam beati Petri, & in eo extruxit pergulam, in qua proposuit varia dona à se oblata. In Ecclesiis donaria oblata proponuntur in pergula. Anastas. infr. hoc loco: *Et super eandem absidem cruces argenteas tres, & cætera quæ in ornamento pergulæ, seu ad vestes altaris ordinatæ sunt.* Eo alludens Tertullian. adversus Valentinian. cap. 7. *Aliis atque aliis pergulis superstructis, & unicuique Deo per totidem scalas distributis.* Pergula est locus seu appendix ædium quâ prospicitur in publicum. Diutino carcere multatus Fulvius tempore belli Punici II. quòd cum corona rosacea è pergula in forum spectare visus esset. Plin. lib. 21. cap. 3. *Lucius Fulvius bello Punico II. cum corona rosacea interdiu è pergula sua in forum prospexisse dictus est, auctoritate Senatus in carcerem adductus, non ante finem belli emissus est.* Apellem tabulas pictas proposuisse in pergula, & post tabulas latuisse, ut trans-

euntium judicia exciperet, scribit idem libr. 35. cap. 10. *Idem perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia quæ notarentur, auscultabat.* Servi etiam venum exponebantur in pergula. Plautus in Pseudolo:

Te ipsum culleo ego cras faciam deportêre in pergulam.

Gabathas aureas duas, alias saxicas numero quinque. Gabathæ sunt patellæ cavæ ex auro vel argento vel ære, in quibus ardebat oleum. Anastas. in Honorio: *Fecit & gabathas aureas quatuor, pensantes singulas libras singulas.* Etymon nominis signat Papias: *Gabatha patella vas quasi cavata.* Hinc à Prasinis derisus Phocas quasi per insaniam gabatha, vice poculi, uteretur. Anastas. in Histor. *Phocas autem fecit Circensem ludum, & Prasini conviciis eum lacessere præsumpserunt clamantes: In gabatha bibisti, iterum sensum perdidisti.* Est quoddam genus gabatharum quæ dicuntur saxicæ vel saxiscæ. Anastas. in Benedict. III. *Gabatham saxiscam ex argento purissimo unam, pensantem libras numero tres.* Fortè quasi Saxonicæ, quòd inventæ essent in Saxonia, quæ est provincia Germaniæ, ut Saxonicia est quoddam genus vestis, petitum à gente Saxonum. Auctor quæst. utriusq. Testam. cap. 127. *Numquid non tunica mediocris hominis, quamvis munda, Imperatori tamen sordida & illicita est, similiter & Saxonicia Senatori.* Vel quia venibant & fiebant Romæ in vico Saxonum. In Urbe fuit vicus Saxonum, cujus meminit Anastas. in Leone IV. *In ipso pontificii sui exordio Saxonum vicum validus ignis invasit.* Aliæ sunt gabathæ, quæ dicuntur interrasiles. Anastas. in Leone III. *Gabathas interrasiles novem, pensantes libras undecim.* Interrasiles dictæ, quia erant quasi derasæ, id est, puræ & simplices sine cælatura. Idem in Gregorio IV. *Gabathas interrasiles quinque cum pedibus suis.* Sic aurum interrasile quasi derasum & æquatum. Plin. lib. 12. cap. 19. *Coronas ex cinnamo, interrasili auro inclusas, primus omnium in templis Capitolii, atque Pacis, dicavit Imperator Vespasianus Augustus.* Hanc interpretationem juvat idem lib. 17. cap. 23. *Derasso cortice quatenus obruatur, unde & rasilem volunt deprimere sulco.* Gabathæ fiebant in modum leonum vel aliarum belluarum. Idem in eodem: *Item gabatham saxiscam habet in modum leonis.* Gabathis insculpebantur gryphes & aliæ belluæ. Anastas. in Leone III. *Gabathas argenteas habentes gryphes deauratos.* Et ibid. *Gabata saxisca in modum leonis.* Gabathæ pendebant in pergula ante altare. Anastas. in Leone III. *Necnon & gabathas fecit ex auro purissimo quindecim cum gemmis pendentes in pergula ante altare.*

Gabathæ genus patinæ veteribus notum. Martial. lib. 7. epig. 47.

Transcurrunt gabathæ, volantquè lances.

Amulas superauratas paria duo pendentes. Fibulatoria numero quinque. De amis seu amulis dictum est suprà. Fibulatoria sunt vestes ecclesiasticæ, ut Dalmaticæ, & similes quæ fibulis connectuntur. Anastas. in Leone I V. *Fibulatoria majora & minora quinque.* Trebell. Pollio in Claudio: *Saga fibulatoria.* Fibula est vinculum ex auro, argento vel ære, quo vestes subnectuntur. Eo sensu conjunctivam velut fibulam apponi, ad conjungendas partes orationis, ait Tertull. adverf. Hermogen. *Nam & artem ipsam velut fibula conjunctivæ particulæ ad connexum orationi appositum est.* Hinc fibula pro ipsa veste fibulata. Leo Ostiens. Chronic. Cass. lib. 1. cap. 28. *Phialis quoque & hamulis, bocis, ac fibulis auri purissimi.* Virg. 4. Æneid.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Valer. Flacc. 1. Argon.

At tibi collectas solvit jam fibula vestes.

His affinia sunt campestria, seu succinctoria, quibus juvenes succingebantur, cùm se exercerent in Campo Martio: unde & Campestrium nomen. Augustin. de Civit. Dei lib. 14. cap. 16. *Et fecerunt sibi campestria, id est, succinctoria genitalium: porro autem campestria Latinum quidem verbum est, sed ex eo dictum, quòd juvenes qui nudi exercebantur, in campo pudenda operiebant: unde qui ita succincti sunt, campestratos vulgus appellat.* Unde campestrati, succinctoria habentes. Luitprand. lib. 6. cap. 4. *Adducti sunt autem duo pueri nudi, sed campestrati, id est, succinctoria habentes.*

Aquamanile argenteum par unum. Aquimanile est vas è quo aqua funditur manus lavandi causâ. Anastas. in Sixto III. *Aquæmaniles argenteos, pensantes singulos libras octo.* Paulus in L. 3. ff. *de supellect. legat. Vasa aquaria, pelves, aquimanilia.* Varro de vit. pop. Rom. lib. 2. *Vrceolum aquæ manile vocamus, quòd eo aqua in trulleum effundatur.* Aquamanus Anastas. infr. in Leone III. *Fecit aqua manus auri pempto deauratas paria duo.*

Et collare aureum cum gemmis pendentibus. Collare est monile è gemmis, colli mulierum ornamentum. Virgil. 1. Æneid.

Colloque monile bacatum.

Ammian. lib. 20. *Iubebatur diadema proferre, neganfque unquam se habuisse uxoris colli, vel capitis, pofcebatur.*

Et faciem altaris & confessionem cum regulis vestivit argento. Regulæ sunt virgæ ex auro, argento, vel ære, vel ferro, è quibus ducuntur

cuntur vela ante altare vel sacras imagines. Paul. Varnefrid. de gest. Longobard. libr. 3. cap. 6. *Multos in itinere negotiatione sua deceperunt, venundantes regulas æris, quæ ita nescio quomodo erant, coloratæ, ut auri probati atque examinati speciem simularent.* Aliis locis regulares vocat Anastas. in Stephano IV. *Fecit enim & tres regulares argenteos super rugas, per quas ingrediuntur ad altare, ubi imagines infrontispicio constitutæ sunt.* Idem in Adriano: *In introitu Ecclesiæ Presbyterii, ubi & regularem ex argento investito fecit, & posuit super eundem regularem præfatas tres imagines. In superiori verò ruga, id est, in medio Presbyterii, faciens aliam regularem ex argento investito.* Idem in Leon. III. *Vela modica de stauraci quatuor, quæ pendent in regulari ante imagines.* Et infrà: *Fecit & columnas argenteas sex, & regulares duos ex argento purissimo, pensantes simul libras octuaginta.* Idem in Paschali: *Fecit etiam ante vestibulum altaris, regularem investitum ex laminis argenteis.*

Coronulas argenteas numero quinque. Coronæ vel coronulæ aureæ, vel argenteæ, erant donaria quæ sæpius offerebantur à fidelibus, ut infrà hoc loco: *Necnon & coronulam auream cum cruce pendentem super altare.* Coronula est diminutivum coronæ: rursus diminutivum coronulæ est cornula. Matth. Paris ad ann. 1247. *Et cornula aurea quæ vulgariter garlanda dicitur.* Inde manavit vernaculum *cornette.*

Hic fecit in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe per circuitum super columnas regulare candelabrorum ad instar Ecclesiæ Beati Petri Apostoli. Regulare candelabrorum est linea seu ordo candelabrorum, quæ ordine disposita erant.

Vela serica alba ornata blatto, id est, blatteo limbo. Blatta idem est quod purpura. Trebellius Pollio in Claudio: *Quum ab eo uxor peteret ut unico pallio blateo serico uteretur, ille respondit: Absit ut auro fila pensentur; libra enim auri, tunc libra serici fuit.* Gregor. Tur. Hist. lib. 2. cap. 38. *Igitur ab Anastasio Imperatore codicillos de Consulatu accepit, & in Basilica Beati Martini tunicâ blateâ indutus, & chlamyde.*

Construxitque Monasterium erga eundem titulum Sanctorum Martyrum Stephani, Laurentii, atque Chrysogoni, constituens ibidem Abbatem, & Monachorum Congregationem, ad persolvendas Deo laudes in eodem titulo diurnis atque nocturnis temporibus ordinatam, ad instar officiorum Ecclesiæ beati Petri Apostoli. Basilica sancti Chrysogoni Martyris est titulus Cardinalis. In eo Gregorius III. condidit Monasterium, & in eo instituit Abbatem & Congre-

gationem Monachorum, ad celebrandum divinum officium per diem & noctem, ad exemplum Ecclesiæ B. Petri. Ab Ecclesia beati Petri ad alias omnes sæculares & regulares manavit mos celebrandi divina officia suis horis die noctuque. Et hæ sunt quæ dicuntur Horæ canonicæ, quia divina officia recitantur certis horis, videlicet horâ matutinâ, primâ, tertiâ, sextâ, nonâ, vesperâ. Anastas. in Adriano: *Porrò & in Basilica Beatæ Eugeniæ Monasterium puellarum noviter ibidem à fundamentis ædificans, constituit ut jugiter illic Deo canerent laudes, videlicet horâ primâ, tertiâ, sextâ, nonâ, vesperâ, matutinâ.* Augustin. de Tempor. sermon. 55. *Et ideo rogo vos, fratres carissimi, ad vigilias maturiùs surgite; ad tertiam, ad sextam, ad nonam ante omnia convenite.* Idem serm. 78. de Tempore. *Attentiùs tamen rogo & admoneo, fratres, ut ad vigilias maturiùs surgere studeatis; ad tertiam, ad sextam, ad nonam feliciter veniatis.* Similiter Gregorius III. Monasterium restituisse memoratur infrà hoc loco, juxta Basilicam Lateranensem, ad celebranda ibi officia diurno nocturnoque tempore, instar officiorum Ecclesiæ Beati Petri. Et Adrianus instituit, ut in Monasterio Honorii Papæ Horæ canonicæ celebrarentur, ut in Ecclesia Lateranensi. Anastas. in Adriano: *Et constituit eos, ut in Basilica Salvatoris, quæ & Constantiniana dicta est, juxta Lateranense Patriarchium posita, officia celebrarent, hoc est, matutinam horam, primam, tertiam, sextam, sed & nonam, etiam & vespertinam.* Idem statuisse memoratur infr. in Monasterio S. Laurentii.

Segregatum videlicet à jure potestatis Presbyteri prædicti tituli. Gregor. III. condidit Monasterium in Ecclesia S. Chrysogoni Martyris, quæ est titulus Cardinalis, exemptum tamen à jurisdictione Presbyteri Cardinalis dicti tituli: quia generaliter servatur in Urbe, ut nullum Monasterium titulo Cardinali sit subjectum, cap. *Dilectus.* extr. *de capell. Monach.*

Fecit autem & tectum noviter, simul & cameram sancti Andreæ Apostoli ad sanctum Petrum Apostolum, quam depinxit. Ecclesias depingi moris antiqui est. Anastas. infr. hoc loco: *Hic etiam Basilicam sancti Calixti Pontificis & Martyris, penè à fundamentis dirutam, novis fabricis cum tecto construxit, ac totam depinxit.* Et infrà: *Item Basilicam sanctæ Dei Genitricis, quæ in Aquiro dicitur, in qua antea Diaconia, & parvum oratorium fuit, eam à fundamentis longiorem & latiorem construxit, atque depinxit.* De quo fusiùs dixi in Gregor. Tur. lib. 2. cap. 17.

Item accubita quæ sunt ad beatum Petrum, in ruinis posita, à fundamentis noviter restauravit, atque depinxit. Accubitum propriè est lectulus tricliniaris, in quo accumbitur epularum causâ. Lamprid. in Heliogabalo: *Non cubuit in accubitis facilè, nisi iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum subulares. Sæpe culcitras mutans vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat.* Interdum accubitum significabat cœnaculum, in quo accubita disponebantur. Anastas. in Leone III. *Itemque fecit in Patriarchio Lateranensi triclinium miræ magnitudinis, in quo loco & accubita collocavit.* Et infr. eod. *Fecit & atrii domum, in qua etiam & accubitos collocavit.* Idem in Leone IV. *Nam & accubitum quod Domnus Leo bonæ memoriæ tertius Papa à fundamentis construxerat, & omnia ornamenta quæ ibi paraverat, præ nimia vetustate, & oblivione antecessorum Pontificum deleta sunt, & in die natalis Domini nostri Iesu-Christi secundum carnem, tam Domnus Gregorius, quàm & Domnus Sergius sanctæ recordationis, ibidem minimè epulabantur. Isdem verò beatissimus & summus Præsul Leo quartus cum gaudio & nimia delectatione omnia ornamenta sive alimenta, quæ inde deleta fuerant, noviter reparavit, & ad usum pristinum magnificè revocavit.* Inde restituendus locus mendosus ejusdem in Gregorio IV. *Fecit etiam juxta acoliti pro quiete Pontificis, ubi post orationis matutinales, vel Missarum officia, ejus valeant membra soporari, hospitium parvum, sed honestè constructum.* Lege *juxta accubita*, quæ erant sc. ad Basilicam B. Petri.

Hujus temporibus Gallienſium castrum recuperatum est, pro quo quotidie expugnabatur Ducatus Romanus à Ducatu Spoletino, dans pecunias non parvas. Tempore Longobardorum Italia divisa erat in Ducatus: singulæ Provinciæ Ducatus dicebantur, ut Ducatus Romanus, Ducatus Spoletinus, Ducatus Forojulienſis. Paul. Varnefrid. de gest. Longobard. lib. 4. cap. 52. *Circa hæc tempora mortuo apud Forum Julii Grasulfo Duce Forojulienſi, Ducatum Hago regendum suscepit. Apud Spoletum quoque Theudelapis defuncto, Atto eidem civitati Dux efficitur.* Per hæc tempora Ditio Romana multa passa est à Luitprando Rege Longobardorum, ob causam Trasimundi, Ducis Spoletani, qui Romam Rege persequente confugerat, & à Ducatu Romano obsidione ablatæ sunt quatuor urbes, Ameria, Hortas, Polimartium & Blera, de quo Anastas. in Zachar.

Et hoc constituit ut secundùm constitutum, quod à Collegio Sacerdotum coram sacro corpore Beati Petri factum est, pro celebrandis

solemniis vigiliarum, atque Missarum Domini nostri Iesu-Christi, sanctæque ejus Genitricis, sanctorum Apostolorum, vel omnium sanctorum Martyrum, ac Confessorum, perfectorumque justorum, toto in orbe terrarum requiescentium, ut in oratorio nomini eorum dedicato, intra Ecclesiam Beati Petri Apostoli sub arcu principali à Monachis vigiliæ celebrarentur, & à Presbyteris Hebdomadariis Missarum solemnia. Constitutum hoc continet duo capita. Unum, ut vigiliæ SS. Apostolorum, Martyrum & Confessorum toto orbe quiescentium celebrarentur in Ecclesia B. Petri. Alterum, ut Missæ celebrarentur à Presbyteris Hebdomadariis. In Ecclesia B. Petri erant Presbyteri Hebdomadarii, qui per hebdomadas Missas celebrabant: de quibus Anastas. in Hilaro, ubi dixi.

Iisdemque institutis disposuit, ut in cimiteriis circumquaque positis Romæ, in die natalitiorum eorum luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per Oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas, per quem præviderit Pontifex, qui pro tempore fuerit, Sacerdotem. Gregorii III. constitutum est ut in die natalium Apostolorum, & Martyrum, in cimiteriis luminaria ad vigilias celebrandas, & oblationes, id est, panis & vinum ad Missas celebrandas, è Patriarchio Lateranensi deportentur per Oblationarium, quod ante institutum à Joanne III. ut observatum est ex Anastas. in Joanne. Oblationarius est Subdiaconus, qui oblationes, id est, panem, vinum destinatum sacrificio Missæ, suscipiebat è manu Pontificis, & deinde eum tradebat Archidiacono. Ordo Romanus de offic. Missæ: *Oblationes autem à Pontifice suscipit Subdiaconus, & ponit in sindonem qui eum sequitur, quam tenent duo Acoliti.* Et infr. *Deinde Archidiaconus suscipit oblatas duas de Oblationario, & dat Pontifici, &c.*

Ven. VVlcarium partibus Franciæ in Vienna dato pallio Archiepiscopum constituit. Archiepiscopus dicitur constitui dato pallio, quia per pallium confertur plenitudo Pontificalis officii, cap. *Nisi. de auctor. & usu pallii.*

IN ZACHARIA.

EODEM verò die dominico, post peracta Missarum solemnia, ad prandium eundem Regem, ad Apostolicam benedictionem suscipiendam, ipse beatissimus Pontifex invitavit. Benedictio accipitur hîc pro refectione seu prandio, vel quia incipit à benedictione mensæ, vel quia per modum eulogiæ, seu benedictionis datur. Vit. Ludovic. P. *Qui quum primo vere à patre dimittere-*

tur, interrogatus est ab eo, cur Rex quum esset, tantæ tenuitatis esset in re familiari, ut nec benedictionem quidem nisi ex postulato sibi offerre posset. Et infrà: *Et benedictione panis ac vini simul participata, Imperator ad civitatem rediit.* Conc. Melphiense sub Urbano II. *Ut Episcopi & Abbates de vineis, vel agris, ac frugibus, quæ ad suum vel fratrum usum laborant, decimas sibi pro benedictione, vel hospitum susceptione habeant.* Can. *Questi.* 16. qu. 1.

Ipsa verò nubes cum eis, usque ad Basilicam sancti Apollinaris, in Ravennatium urbem tegendo conviavit. Conviare est unà cum alio viam facere. Anastas. infr. eod. *Post hæc autem is ipse Rex, egressus de loco in locum, usque ad Padum eidem sancto viro conviatus eum deduxit.*

Qui viri ingressi in finibus Longobardorum, in civitatem quæ vocatur Imola. Imola civitas Æmiliæ, olim Forum Cornelii, postea Imola dicta, à castro urbis, cui nomen erat Imola. Paul. Varnefrid. de gest. Longobard. libr. 2. cap. 18. *Cornelii que Foro, cujus castrum Imolas appellatur.* Forum Cornelii civitas Galliæ togatæ, postea dictæ Lombardiæ, de qua Martial. lib. 3. epigr. 4.

Si quibus in terris, qua fimus in urbe, rogabit,
Corneli referas me licet esse Foro.

Cornelii Forum civitas Episcopalis, quæ olim fuit suffraganea Metropolis Mediolanensis. Hinc Ambrosius E. Mediolanensis, vacanti Ecclesiæ Visitatorem dedit unum è suffraganeis. Testis ipse epist. 44. Constantio Coëpiscopo: *Commendo tibi, fili, Ecclesiam quæ est ad Forum Cornelii, quò eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur Episcopus.* Hodie paret Metropoli Ravennati. Gregor. libr. 6. epist. 39. ubi dixi.

Cum quibus Ticinum conveniens, ubi ipse residebat Rex foris muros ejusdem civitatis pertransiens, ad horam orationis nonam, pro vigiliarum Beati Apostolorum Principis Petri celebrandus solemnius Missarum, in Basilicam ejus, quæ vocatur Ad cælum aureum, perrexit. Hora orationis nona signatur, quia officium sacrum certis horis distribuitur, matutinâ, primâ, tertiâ, sextâ, nonâ, vesperâ, completorio. Reg. Benedict. cap. 16.

Hic in Lateranensi Patriarchio, ante Basilicam beatæ memoriæ Theodori Papæ, à novo fecit triclinium, quod diversis marmoribus, & vitio, metallis, atque musivo, & pictura ornavit, sed & sacris imaginibus, tam oratorium beati Silvestri, quamque & porticum decoravit. Locus est corruptus: pro *vitio*, lege *vitreis*. Veteres parietes ædificiorum vitreis bitumine conjunctis vice tectorii inducebant. Vopiscus in Firmo: *Nam & vitreis quadraturis bitumine,*

aliisque medicamentis insertis, domum induxisse perhibetur. Seneca epist. 86. *At nunc quis est, qui sic lavari sustineat, pauper sibi videtur, ac sordidus, nisi parietes magnis & pretiosis orbibus resulserunt, nisi vitro absconditur camera?*

Hic in Ecclesia Apostolorum Principum Petri & Pauli pendentia vela inter columnas ex palleis sericis fecit. Inter columnas vela ad ornatum Ecclesiarum è palleis seu palliis sericis adhibebantur. Anastas. in Adriano: *Sed & per diversos arcus vela syrica numero quinquaginta septem.* Et infrà: *Vela de palliis syricis numero viginti, & linea viginti.* Idem in Leone III. *Et vela holoserica majora sigillata habentia periclysin, & crucem de bathin, seu fundato.* Lege *blathin.* Idem infr. eod. *Verùm etiam & per arcus argenteos fecit vela Paschalia cum periclysi de stauraci.* Apud veteres etiam signa inter columnas disponebantur. M. Tull. Verrin. 3. *Quæ signa nunc, Verres, ubi sunt? illa quæro, quæ apud te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in silva denique, disposita sub dio vidimus.* Imò & silvæ inter columnas majorum ædium, id est, arborum lineæ ornatûs causâ consitæ. Horat. lib. 1. epist. 10. *Nempe inter varias nutritur silva columnas.*

Hic in Ecclesia prædicti Principis Apostolorum omnes codices domus suæ proprios, qui in circulo anni leguntur ad matutinos, in armarii opere ordinavit. Zacharias libros proprios reposuit in armario Ecclesiæ Romanæ. Armarium est bibliotheca librorum, §. *Sed si bibliothecam. De Legat.* 3. Plin. libr. 2. epist. 17. *Parieti ejus in bibliothecæ speciem armarium insertum est.* Sidon. libr. 2. epist. 9. *Videre te crederes aut grammaticales pluteos, aut Athenei cuneos, aut armaria extructa bibliopolarum.* Hac analogiâ armarium S. Martini dixit Lupus Ferrar. epist. 16. *Impendio supplicamus, ut commentarios Boëtii in Topica Ciceronis, quos in chartalio codice Amalricus in armario S. Martini habet.* Armarium S. Galli. Ekkeard. Junior de Casib. Monast. S. Galli cap. 10. *Itur in armarium, sed & in augustum S. Galli thesaurarium.* Aliàs armarium est locus in quo res custodiæ causâ ponuntur. Hieronym. in Ezechiel. libr. 4. cap. 15. *Continent armariis, risco, loculis.*

Hic domum cultam Lauretum noviter ordinavit, adjiciens & massam fondeianam. Domus culta est massa seu prædium instructum ædificiis, colonis, & instrumento rustico. Anastas. infr. eod. *Et domum cultam Beato Petro eumdem locum jure perpetuo statuit permanendum: quæ domus culta sanctæ Cæciliæ usque in hodiernum diem vocatur. Quam videlicet domum cultam usui proprio, dominicæ vide-*

licet traditioni, descripsit. Hic constituit aliam domum cultam in decimo quarto milliario ab hac Romana urbe patrimonium Tusciæ, & constitutionibus obligavit usui Ecclesiæ permanendum. Hic massas quæ vocantur Antrus & Formias, suo studio jure Beati Petri acquisivit, quas & domos cultas statuit. Et de omnibus domocultis, sub anathematis interdictionibus statuit, nulli quoquo modo successorum ejus Pontificum, vel alii cuilibet personæ licere ipsas domos cultas ab usu Ecclesiæ quoquo modo alienare. Idem in Adriano: *Hic beatissimus Præsul fecit atque constituit noviter domos cultas quatuor.* Prædia propria domocultas instituit Leo III. Vit. Ludovic. Pii: *Eadem etiam tempestate, quum Leo Apostolicus gravaretur adverso incommodo, prædia omnia, quæ illi (Romani) domocultas appellant, & noviter ab eodem Apostolico instituta erant, sed & ea quæ sibi contra jus querebantur erepta, nullo judice expectato, diripere, & sibi conati sunt restituere.*

Porrò eodem tempore contigit, plures Veneticorum hanc Romanam advenisse in urbem negociatores, & mercimonii nundinas propagantes, multitudinem mancipiorum, virilis scilicet & feminini generis emere visi sunt, quos & in Africam ad paganam gentem nitebantur deducere. Notatur turpe mercimonium Venetorum emendi mancipia utriusque sexus, ut ea paganis distraherentur in Africa: quod vetuit Pontifex. Hoc genus commercii frequens fuit Paul. Varnefrid. de gest. Longobard libr. 1. cap. 1. *Ab hac ergo populosa Germania sæpe innumerabiles captivorum turmæ abductæ, meridianis populis pretio distrahuntur.* Turpius commercii genus fuit, quo servi à Virdunensibus mercatoribus solebant castrari, quæ dicebantur mancipia Carsamatia, ut Sarracenis venderentur in Hispania. Luitprand. Ticinens. lib. 6. cap. 3. *Obtuli mancipia quatuor Carsamatia Imperatori, nominatis omnibus pretiosiora; Carsamatium autem Græci vocant, amputatis virilibus & virga, puerum eunuchum: quos Verdunenses mercatores ob immensum lucrum facere solent, & in Hispaniam ducere.*

Sicut cætera Pentapoleos oppida. Flaminia est Provincia Italiæ, in qua sunt primariæ Ravenna & quinque civitates Pentapoles dictæ Paulo Varnefrid. de gest. Longobard. libr. 2. cap. 19. Hinc Anastas. antè dixit, *Ravennæ, ac civitatum Pentapoleos & Æmiliæ.*

In venerabili itaque Patriarchio sacratissimum Beati Georgii Martyris isdem sanctissimus Papa in capsa reconditum reperit caput, in quo & pitacium invenit pariter literis exaratum Græcis, ipsum esse significantes. Capsis, id est, loculis reliquiarum Sanctorum apponitur pitacium, id est, schedula, seu brevis inscriptio, qua si-

gnificatur, cujus essent. Gregor. Tur. de Glor. Confess. cap. 36. *Habetur enim ibi tumulus, huic à læva contiguus: in hujus fronte superiore habetur scriptum, Sanctæ memoriæ Gallæ.* Pitacium est schedula. Augustin. de verb. Apostol. serm. 23. *Memor legis proposuit pitacium publicè.* Cujus diminutivum est pitaciolum. Flodoard. Hist. Rhemens. libr. 3. cap. 23. *Pitaciolum irrationabiliter confectum, & manu tua subscriptum.* Hieronym. in Matth. libr. 4. cap. 23. *Pittaciola illa Decalogi, phylacteria vocabant.* Jo. Diacon. libr. 2. cap. 45. *Et scribens orationem in pittatio, dedit uni Diaconorum suorum.* Alibi pictacium est fasciola obligandis vulneribus. Cornel. Celsus libr. 3. cap. 10. *Duo pitacia, quæ latitudinem frontis, longitudinemque aquent.* Veget. art. veterinar. libr. 1. cap. 22. *In plaga verò pitacium imponas, ut diligentiùs claudat.*

Hic beatissimus Papa statuit, ut crebris diebus alimentorum sumptus, qui & eleemosyna usque nunc appellatur, de venerabili Patriarchio à Paracellariis, pauperibus & peregrinis, qui ad beatum Petrum morantur, deportari, eisque erogari, &c. Paracellarii sunt Cellarii præpositi cellæ Patriarchii Lateranensis, è qua quotidie erogabantur stipes pauperibus & peregrinis. Anastas. in Adriano: *Et quinquaginta panes, simulque & decimatas vini duas, & caldaria plena de pulmento erogentur omni die per manûs unius fidelissimi Paracellarii eisdem pauperibus.* Unde cellarium Patriarchii Lateranensis dicitur Paracellarium. Anastas. in Adriano I. *Vinum verò, seu diversa legumina, quæ in prædiis ac locis ipsius domocultæ annuè nata fuerunt, simili modo curiosè in Paracellario sanctæ vestræ Ecclesiæ deducantur, & separatim reponantur; sed & porcos qui annuè in cæsalibus sæpius dictæ domocultæ inglandati fuerint, capita centum exinde occidantur, & in eodem Paracellario reponantur.*

IN STEPHANO III.

IN una verò dierum cum multa humilitate sollicitè procedens, in lætania cum sacratissima imagine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, quæ Anteropsita nuncupatur. In letaniis imago Christi Salvatoris circumferri solita cum cruce, dicta est anteropsita, voce fortè composita à Latino *antè*, & Græco ὄψις, visus, spectaculum, quia ante letaniam lata videbatur. Beda Hist. libr. 1. cap. 26. de Augustino primo Episcopo Anglorum, & sociis ejus. *At illi non dæmonica, sed divina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam & imaginem Domini Salvatoris in tabula*

tabula depictam, letaniasque canentes pro sua simul & eorum, propter quos, & ad quos venerant, salute æterna Domino supplicabant. Et infrà: *Fertur autem quòd appropinquantes civitati more suo cum cruce sancta, & imagine magni Regis Domini nostri Iesu-Christi, hanc letaniam consona voce modularentur.* Imago Salvatoris maximo cultui fuit apud fideles. Novembris 9. celebratur commemeratio imaginis Salvatoris, quæ à Judæis crucifixa ubertim sanguinem fudit: de quo Martyrol. R. Hinc quamplures Ecclesiæ in orbe terrarum dicatæ Salvatori, ut Romæ, & passim alibi. Augustin. libr. 1. contra Julianum: *Unde etiam matres quotidie toto orbe terrarum, non ad Christum tantùm, id est, ad puerum, sed ad Christum ipsum, id est, etiam Salvatorem, cum parvulis currunt.*

Simulque & cum ea alia diversa sacra mysteria recipiens, proprioque humero ipsam sanctam imaginem, cum reliquis Sacerdotibus, idem sanctissimus Papa gestans, nudisque pedibus tam ipse quàm universa plebs incedentes, in Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Præsepe nuncupatur, posito in omnium capitibus populorum cinere, cum maximo ululatu pergentes. In Letania Pontifex cum clero & plebe processit nudis pedibus, & ipse & Presbyteri humeris gestarunt imaginem Christi, & reliquias diversas Sanctorum. Officium Diaconorum fuit in diebus festis Martyrum, humeris gestare reliquias Sanctorum. Conc. Brachar. III. can. 5.

Illico à regia urbe venit Ioannes Imperialis Silentiarius. In Palatio fuit Schola Silentiariorum, qui in aula excubarent. E Schola Silentiariorum ad Imperium evectus memoratur Anastasius. Evagr. libr. 3. cap. 31. Ambros. in orat. funebr. Valentiniani: *Vespere profectus est silentiarius.*

Unde & cum nimia celeritate, Deo prævio „ad Francorum pervenit clusas Clusæ sunt fauces Alpium, per quas patet transitus. Annal Franc. *Ad ipsas montium angustias, quas Clusas vocant.* Anastas. infr. eod. *Ad custodiendum proprias Francorum clusas.* Et infrà: *Et clusas funditus eorumdem evertit Longobardorum.* Longobardorum clusæ dicuntur solo eversæ, quia clusæ, ut tutiores essent, erant munitæ propugnaculis. Idem infr. in Adr. *Iam dictus verò Desiderius, & universa Longobardorum exercitus multitudo ad resistendum fortiter, in ipsis clusis assistebant, quas fabriciis & diversis maceriis curiosè munivere nisi sunt.* Luitprand. Hist. libr. 1. cap. 2. *Quibusdam namque difficillimis separata à nobis erat interpositionibus, quas Clusas vocant.* Idem libr. 5. cap. 18. Clausuras vocat Regino 1. Chronic. *Thermopylas, id est, clausuras*

Longobardorum petiit. Radevic. de gestis Frideric. lib. 1. cap. 3. *Clausuras illorum, quas in angustiis locis præcisa densitate silvarum fecerant, penetravit.* Cluſuras Cassiodor. 2. Var. 19. *Universis Gothis & Romanis, & his qui portubus & clusuris præsunt, præcipimus sexaginta militibus in Augustanis clusuris jugiter constitutis, annonas, sicut aliis quoque decretæ sunt, sine aliqua dubitatione præstare.* Cujac. 3. obſ. 24.

Et cœptum gradiens iter, ad venerabile Monasterium sancti Christi Martyris Mauritii pervenit. Circa ann. Chriſti 600. Sigiſmundus Rex Burgundiæ Monaſterium B. Mauritio ſacrum condidit apud Agaunum in Allobrogibus. Aimoin. libr. 2. cap. 4. *S. Maurice en Chablais sur le Rhosne.*

Ipseque in Palatio suo, in loco qui vocatur Pontigone. Pipinus Stephanum III. P. venientem in Galliam, adverſus Longobardos præſidii expetendi causâ, eum ſuſcepit in palatio ſuo, cui nomen erat Ponticone, vel Pontigone. Ponticone vel Pontigone, villa Regia, in pago Catalaunenſi, clara Synodo Pontigonenſi, cujus meminit Aimoin. libr. 5. cap. 33. & quæ refertur inter Capitula Caroli Calvi, edita à Jacobo Sirmondo. Ponticonem appellat Gregor. Tur. libr. 4. cap. 23. & libr. 6. cap. 37. Idem de Miracul. D. Mart. l. 4. c. 40. Pontigonem Fiſcum, id eſt, villam Fiſcalem, Frodoard. in Chronic. ad ann. 952.

Cui & vice Stratoris, usque in aliquantum locum, juxta ejus sellarem properavit. Pipinus Pontifici functus eſt officio Stratoris, juxta ejus ſellarem equitans. Strator dicitur qui domino equum ephippio inſternit, & aſcendentem in equum ſublevat. In aula Imperatoris Stratores fuere inter Officia Palatina. Spartian. in Antonino Caracalla: *Quum illum in equum Strator ejus levaret, pugione latus confodit.* Pontius Diaconus in Vit. Cypriani apud Surium Sept. 14. *Venerunt ad eum Principes duo, unus Strator officii Galerii Maximi Procons. & alius Equistrator è custodiis ejusdem officij.* Stratorum officium erat probare equos militares, qui à Provincialibus conferebantur, L. unic. C. *De Strator.* Ammian. libr. 29. *Constantinus Strator paucos militares equos ex his usus mutare, ad quos probandos missus erat in Sardiniam.* Ludovicus etiam junior, freno equi Nicolai I. prehenſo, pedes equitem deduxit more Stratoris.

In loco qui Carisiacus appellatur. Cariſiacus villa Regia, clara Synodo Cariſiacenſe, quæ extat inter Capitula Caroli Calvi, & morte Caroli Martelli. Fredegarius in Chronic. cap. 110.

Venienſque Cariſiacum villam Palatii ſuper Iſaram fluvium, validâ febre correptus obiit in pace. Crecy ſur Oiſe.

Quos ſuſcipiens beatiſſimus Papa, eiſdem motionem præfati Francorum Regis nunciavit. Quandoque iter ſeu motio exercitus edicebatur per teſſeram. Ammian. libr. 21. *Per teſſeram edicto itinere in Pannonias.* Idem libr. 23. *Nondum adulto vere, miſſa per militares numeros expeditionali teſſera, cunctos tranſire juſſit Euphratem.* Sæpius ſignum itineris dabatur buccinâ. Curtius libr. 3. *Patrio more Perſarum traditum eſt orto ſole demum procedere, die jam illuſtri.* Signum è tabernaculo Regis buccinâ dabatur. Idem libr. 5. *Tubâ, cùm caſtra movere vellet, ſignum dabat.* Et infrà: *Ipſe tertiâ vigiliâ ſilenti agmine, ac ne tubâ quidem dato ſigno, pergit ad demonſtratum iter callium.*

Et ipſas claves tam Ravennatium urbis, quamque diverſarum civitatum ipſius Ravennatium Exarchatus, unà cum donatione de eis à ſuo Rege emiſſa, in Confeſſione beati Petri ponens, eidem Apoſtolo, & ejus Vicario ſanctiſſimo Papæ, atque omnibus ejus ſucceſſoribus Pontificibus perenniter poſſidendas, atque diſponendas tradidit Pipinus Rex Francorum per Fulradum Abbatem Exarchatum Ravennatem, ab Aiſtulpho Rege Longobardorum armis ablatum, conceſſit Petro & ejus ſucceſſoribus, in ſignum donationis depoſitis clavibus ſuper Confeſſione, id eſt, ſepulcro B. Petri. Traditio clavium eſt ſymbolum deditionis, vel donationis. Annales Franc. ad ann. 800. *Aran Sarracenus Præfectus Oſcæ, claves urbis cum aliis donis Regi miſit, promittens eam ſe traditurum.* Traditione aurearum clavium Baſilio Imperatori Capua conceſſa à Principe urbis. Leo Oſtienſ. Chronic. Caſſinenſ. libr. 1. cap. 39. *Cùm ergo Capuanus Princeps Conſtantinopolitano Imperatori Baſilio clam favens, claves aureas ad illum miſit, ſe & urbem Capuam, imò totum Principatum ejus, per hæc imperio tradens.* Claves Sepulcri Hieroſolymitani à Patriarcha benedictionis causâ accepit Carolus M. Annal. Franc. ad ann. 801. *Eodem die Zacharias Presbyter, quem Rex Hieroſolymas miſerat, cum duobus Monachis, quos Patriarcha cum eo ad Regem miſit, Romam venit: ii benedictionis gratiâ claves Sepulcri Dominici ac loci Calvariæ cum vexillo detulerunt.*

Eugubium ſeu Comiaclum. Eugubium hodie Comiaclum, civitas Epiſcopalis Umbriæ, quæ pervenit ad ſedem Apoſtolicam, ex donatione Pipini cum Exarchatu Ravennate. Anaſtaſ. in Adriano: *Seu Comaclium de Exarchatu Ravennate.*

IN PAULO.

CELLAS pauperum infirmorum. Cella est habitaculum seu domuncula tenuiorum. Martial. libr. 3 epigr. 30.

Unde tibi togula est, & fuscæ pensio cellæ.

Cella meretricis, pro fornice ubi prostat. Petron. in Satyrico: *Jam pro cella meretrix assem exegerat.* Cellæ servorum. Columell. de re rustic. libr. 1. cap. 6. *Optimè solutus servus cellæ meridiem æquinoctialem spectantes fient.* Petron. in Satyric. *Non longè ab ostiarii cella.*

IN STEPHANO IV.

ET ascendentes cum eo in Vicedominio. Vicedominium est domus Vicedomini, qui erat Vicarius Pontificis in temporalibus. Anastas. infr. hoc loco: *Unde directus est quidam Christophorus Vicedominus, cum multitudine populi, ad eum comprehendendum.*

Continuò accersito Georgio Episcopo Prænestino, compulerunt eum, ut orationem Clericatus eidem Constantino tribueret. Oratio Clericatus dicitur Ordo Clericatus, quia confertur ab Episcopo fusa oratione seu benedictione super ordinando. Anastas. infrà hoc loco: *Timore correptus, orationem illi Clericatus tribuit, & ita Clericus effectus.*

Sicque jam dictus Sergius & VValdipertus cum Longobardis Romanam Vrbem ingressi sunt, & per muros civitatis cum flammula ascendebant, metuentes Romanum populum. Flammulæ erant signa quæ apponebantur in galeis, vel hastis, vel loricis militum, ut agnoscerentur. Vegetius libr. 2. cap. 1. *Vexillationes vocantur à velo, quia velis, hoc est, flammulis utuntur.* Vel signa seu vexilla militaria: unde vexillum regium Francorum dictum est auriflammula, *Oriflamme.* Guill. Brito. Philippid. libr. 11. *Ast Regi satis est tenues crispare per auras Vexillum simplex condato simplice textum, Splendoris rubri, Lethania qualiter uti Ecclesiana solet certis ex more diebus. Quod cùm flamma habeat, vulgariter Aurea nomen, Omnibus in bellis habet omnia signa præire. Quod Regi præstare solet Dionysius Abbas, Ad bellum quoties sumptis proficiscitur armis.*

Et nequaquam de genuculo ipsi Longobardi ausi sunt descendere, sed cum nimio tremore ibidem assistebant. Genuculum, vel geniculum est linea seu statio & gradus murorum, in qua milites

de geniculis ſtabant, ſagittas in hoſtem mittendi causâ. Geniculum etiam eſt gradus ſucceſſionis, 1. Feud. cap. 1. Muri habent ſuas partes, pedes, geniculum: ſic articulos montium dixit Plin. lib. 37. cap. ult. pro nexibus & juncturis, quibus inter ſe cohærent. Sic geniculatio dicitur oratio, quia funditur flexis genibus. Tertull. ad Scapulam: *Quando non geniculationibus & jejunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ.* Hinc de geniculis adorare dictum. Idem de Corona Milit. *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.* Hieronym. in epiſt. ad Epheſ. *Et geniculationes in oratione præceptas.* Caules plantarum etiam habent genicula, id eſt, nodos quibus diſtincti ſunt, ut & ſpicæ tritici. Plin. libr. 27. cap. 8. *Cratæogonon ſpicæ tritici ſimile eſt, multis calamis ex una radice emicantibus, multorumque geniculorum.* Idem libr. 25. cap. 13. *Cicuta, caulis, levis hic, & geniculatus, ut calami.* Unde caules plantarum dicuntur geniculati. Plin. eod. libr. 27. cap. 7. *Actæa gravi foliorum odore, caulibus aſperis geniculatis.* Idem libr. 18. cap. 7. *At milium & panicum in culmum geniculatum.* Idem libr. 23. cap. 1. *Hujus* (vitis albæ ſc.) *ſarmenta longis & exilibus internodiis geniculata ſcandunt.* In genuculo erant molæ aquæ. Anaſtaſ. in Adriano: *Forma Sabathena, ex qua diverſæ molæ in genuculo machinabantur.* Et infrà: *Et intus civitatem, id eſt, in genuculo, ubi molæ machinabantur.*

Pergenteſque in Monaſterium ſancti Viti, abſtulerunt exinde Philippum Presbyterum, quem eligentes, & cum gaudio vocibus acclamantes: Philippum Papam ſanctus Petrus elegit; eum in Baſilicam Salvatoris more ſolito deduxerunt. Electio & ordinatio Epiſcoporum fiebat cum acclamatione populi. Ambroſ. de dignit. Sacerdotali cap. 5. *Et neſcii homines & indocti in ordinationibus eorum clamant & dicunt: Dignus & juſtus eſt.*

Vnum ex eis, Theodorum ſcilicet Epiſcopum, in Monaſterio Clivi Scauri retrudi fecerunt. Hoc eſt Monaſterium S. Andreæ in Urbe poſitum ad clivum Scauri, à B. Gregorio conditum in propriis ædibus, de quo Jo. Diaconus libr. 1. cap. 6. & Gregor. ipſe libr. 7. epiſt. 13. & Anaſtaſ. infr. hoc loco: *Sergius verò in Monaſterium Clivi Scauri deportatus.* Idem in Gregor. IV. *At in Monaſterio ſancti Andreæ, quod appellatur in Clivo Scauri.* Et ita legendum infrà apud Anaſtaſ. in Leone III. *In Monaſterio S. Andreæ, qui ponitur in clivo Scauri.* Pro *in clibus Cauri.*

In ſella muliebri ſedere ſuper equum fecerunt, & in Monaſterium

Cellanovas coramomnibus deportatus est. Constantinus pseudo-Pontifex ludibrii causâ equo impositus est in sella muliebri. Sic Georgius pseudo-Episcopus Alexandrinus, ab Arrianis intrusus in locum Athanasii, à plebe pulsus, & camelo traductus. Gregor Nazianz. or. 21. Epiphan. Hæres. 76. Socrat. lib. 3. cap. 3. Constantinus deportatus in Monasterium Cella nova, hoc est, Monasterium S. Sabæ, Romæ, quod Cella nova dicitur. Anastas. in Adriano sub fin. *Et Petrum religiosum Abbatem venerabilem Monasterii sancti Sabæ, quæ appellatur Cella nova.* In eo educatum Gregorium refert Joann. Diac. libro 1. cap. 9. *Loco qui dicitur Cella nova, quo hactenus oratorium nomini ejus dedicatum, & famosum sancti Sabæ Confessoris Christi Monasterium.*

Factaque ab universo populo Romano pœnitentiæ confessionisque deprecatione apud divinam clementiam, per quam se omnes peccasse in prædicti Constantini invasoris Apostolicæ sedis impia ordinatione confitentes, pro eo quòd non ei restiterunt, ita excelsa voce in ambone beati Petri Basilicæ à Leontio Scriniario eadem relecta est confessio. Reconciliatio publicorum pœnitentium fit ab Episcopo per manuum impositionem ante apsidam. Conc. Carth. III. can. 32. can. *Presbyter.* 26. qu. 6. Syn. Carth. can. 46. apud Balsamon.

Vbi erat Gracilis Tribunus, consentaneus jam dicti Constantini Apostolicæ sedis invasoris. Consentaneus est correus, socius criminis. Anastas. infr. hoc loco: *Paulus Cubicularius, & alii ejus nefandissimi consentanei.* Anastas. in Adrian. *Paulo Cubicularioque cognomento Asiarta, & aliis consentaneis impiis satellitibus.* Et infr. *Et Calvulo item Cubiculario, & maligno consentaneo.* Gregor. Tur. de Mirac. Martyr. libr. 2. cap. 13. *Qui verò de consentaneis latentes Regem in patria sunt regressi.* Idem de Glor. Confess. cap. 63. *Statim hujus consilii effectus est consentaneus.*

Dum ad Colloseum adveniissent, illic ejus oculos eruerunt. Coloseum olim Amphitheatrum, sic dictum, quia Neronis cum capite Colossus in vicinia erat. Vulgò *Coliseo.*

Eumque in teterrimam retrudi fecerunt custodiam, quæ vocatur Ferrata in Cellario majore. Cellarium propriè est cella in qua custodiæ causâ reponuntur res pretiosiores. Hieronymus in Ezechiel. libr. 8. cap. 27 *Et prætoriola de insulis Italiæ, & prætoriola sive cellaria, in quibus merces pretiosissimæ reponuntur.* Vel necessaria victui. Augustin epist. 109. ad Monachas quasdam: *Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario.* Idem de Tempore serm. 61. *Multa enim sunt, quæ de horreo, canabo vel cel-*

lario aliquotiens proferre non pessumus. Aliàs cellarium pro carcere seu custodia, ut hìc Cellarium majus, pro Cellario Lateranensi. *Et postmodum in Cellarium Lateranense deductus, illicque usque ad transitum prænominati Pontificis extitit.* Idem in Adriano : *Sergium Secundicerium, qui Coccus in Cellario erat.* Et infr. *Convocansque cunctos Cellarios, subtiliùs eos perscrutatur, quomodo ipse Sergius ab eodem cellario abstractus fuisset.* Cella quoque accipitur pro custodia. Lucianus apud Cyprian. epist. 22. *Et recluſi sumus in duabus cellis.* Conc. Turonens. II. can. 20. *Illi verò Archipresbyteri, qui talem cautelam super juniores suos habere voluerint, ab Episcopo suo in civitate retrudantur in cellam, ibique mense integro panem cum aqua manducent.*

Tunc detectis omnibus ejus rationum gestis, simul & Concilio illo, quod in scriptis de ejus quasi confirmatione editum fuerat, igne combusserunt in medio Presbyterii ipsius Ecclesiæ. In Conc. Romano rescissa electione Constantini, qui ex laïco electus erat Ro. Pontifex, gesta ejus confirmationis igni cremata sunt in medio Presbyterii Ecclesiæ Lateranensis.

Tunc allatis sacratissimis Canonibus, eisque liquidò perscrutatis, prolata est sententia ab eodem Sacerdotali Concilio sub anathematis interdicto, ne ullus umquàm præsumat laïcorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatus honorem possit promoveri. Rescissa electione Constantini, in eodem Concilio statutum est, ne deinceps quis ex laïco eligatur Pontifex, nisi per gradus priùs ordinatus fuerit Diaconus, aut Presbyter Cardinalis. Ne laïcus eligatur Episcopus, nisi priùs per gradus Diaconus aut Presbyter ordinatus fuerit, vetuit Syn. Sardic. can. 13. can. *Osius.* 61. dist. quod repetitum est in Conc. Romano, in causa Constantini ex laïco electi Ro. Pontificis. Constantinus in medium Synodi adductus varia defensione usus est : primò dicendo se per vim populi electum, secundò, nihil se novi fecisse, adductis exemplis Sergii Archiepiscopi Ravennatis, & Stephani Neapolitani, qui è laïcis electi & statim ordinati. Sed rescissa electione Constantini, in futurum lex dicta, ne quisquam laïcus eligeretur in Pontificem.

Statuens ut hi qui ex eis consecrati erant, nequaquam ad fortiorem honorem ascenderent. In eodem Concilio statutum, ne hi qui Diaconi aut Presbyteri ordinati erant à Constantino ex laïco electo, ad altiores ordines, nec ad Pontificatus culmen promo

verentur. Ordinati à Schismaticis ex dispensatione permanent in susceptis ordinibus, adempta specie promotionis ad majores, cap. *Quia diligentia. de elect.* cap. 2. *de Schismatic. & ordinat. ab. eis.* can. *Nos consuetudinem.* 12. dist.

In eodem Concilio statutum est, ut omnia quæ isdem Constantinus in Ecclesiasticis Sacramentis, ac divino cultu egit, iterari debuissent, præter sacrum Baptisma, atque sanctum Chrisma. In eodem Concilio statutum, ut ordinationes, & omnia gesta à Constantino, irrita essent, & iteranda, præter sacrum Baptisma, & Chrismationem Baptizatorum: quia Baptismus & Chrismatio seu Confirmatio Baptizatorum non iterantur.

Illicque in ambonem ascendens Leontius Scriniarius, cuncta quæ in eodem peracta sunt Concilio, extensa voce legit populo. Acta Concilii per Scriniarium lecta sunt & publicata in ambone Ecclesiæ Lateranensis, coram populo, notitiæ causâ. Eadem de causa Concilia Africana lecta, & insinuata apud acta Proconsularia. Augustin. in Psalm. 57. *Lectum est Concilium Bagaitanum, ubi damnati sunt Maximianistæ: insertum est actis Proconsularibus: probatum est, quòd illi damnati non deberent tenere Basilicas: & pronunciavit Proconsul ex lege.*

Hic statuit, ut omni Dominico die à septem Cardinalibus Hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observant Missarum solemnia, super altare beati Petri celebraretur, & Gloria in excelsis Deo diceretur. Hebdomadarius est qui vice sua solemnia Missarum celebrat. Leo Ostiens. Chronic. Cassin. libr. 3. cap. 21. *Quum enim fratres die quadam in Ecclesia primæ horæ solemnia agerent, subitò cælitus fulmen elapsum ipsum Hebdomadarium Sacerdotem, cui Manno erat nomen, in choro stantem extinxit.* Septem sunt Cardinales Episcopi, quibus solis post Pontificem licet Missam celebrare in Ecclesia Salvatoris super altare B. Petri. Petr. Damian. libr. 2. epist. 2. *Lateranensis Ecclesia sicut Salvatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est electorum; ita mater & quidam apex & vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Hæc septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum sacrosanctum illud altare licet accedere, & divini cultus mysteria celebrare.* Septem Cardinales Episcopi: Ostiensis, ad quem pertinet consecratio Pontificis; Portuensis; SS. Rufinæ & Secundæ, aliàs Silvæ Candidæ; Sabinensis; Prænestinus; Tusculanus; Albanus.

Fecit enim & tres regulares argenteos super rugas, per quas ingrediuntur ad altare, ubi imagines in frontispicio constitutæ sunt. Regulares

lares vel regulæ quid sint, à nobis observatum est suprà in Gregor. III. Rugæ sunt semitæ per quas itur ad altare. Ruga est via, semita, quasi rugæ senili similis. Willel. Tyrius de Bell. Sacr. libr. 12. cap. 25. *Præterea illam ejusdem plateæ, rugæque Accon partem.* Papias: *Rugæ Romæ semitulæ.*

Pro exigendis à Desiderio Rege Longobardorum justitiis beati Petri. Missi Pontificii legati à Stephano IV. ad Carolum Regem, pro petenda ope ad vindicandas à Rege Longobardorum justitias B. Petri, id est, res beati Petri. Justitiæ B. Petri sunt res quæ jure competunt Romanæ Ecclesiæ. Anastas. infr. hoc loco: *Pariterque pro justitiis beati Petri loquerentur. Prætermittens ipse Desiderius causas de justitiis Beati Petri.* Idem infr. in Adriano: *Pro justitiis sanctæ Dei Ecclesiæ faciendis.* Eâdem analogiâ justitia Ecclesiarum pro decimis & oblationibus & aliis juribus Ecclesiarum. can. *Quæsitum.* 16. qu. 1. cap. *Quia diligentia. De elect.* cap. *Certificari. De sepultur.*

Et dum hæc agerentur, subitò conjunxit ad beatum Petrum antedictus Desiderius Rex cum suo Longobardorum exercitu. Conjungere est accedere. Anastas. infr. in Adriano: *Quibus egredientibus ab hac Romana urbe, & Perusiam conjungentibus.*

Priùs quidem Sergius eadem nocte, quâ horâ campana insonuit, descendit per murum, & properavit ad beatum Petrum. Signatur hora, quâ campana insonuit, id est, quâ signum datum est ad Matutinas. Campanæ signum datur ad Matutinas & alias Horas canonicas. Gregor. Tur. de Mirac. D. Martini libr. 1. cap. 33. *Mane autem facto, signo ad Matutinas commoto, reversi fumus dormitum.* Idem libr. 2. cap. 11. *Mane autem facto, moto Matutinis signo, super pedem debilem constitit.* Idem cap. 45. ejusd. libr. *Visum est eis, quasi signum, quod Matutinis commoveri solet, audissent.* Idem libr. 3. cap. 23. *Interea Beati signum movetur Horis matutinis; aggregatur & populus, vigiliisque celebratis, virtus Sancti clarificata perpatuit.* Idem de Vit. Patr. cap. 8. *Quod Presbyter audiens, gavisus jussit signum ad vigilias commoveri.* Ingulphus in Chron. Croyland. *Et ad matutinas vigilias de præfato Apostolo persolvendas noster Secretarius nolam pulsavit pro Fratribus excitandis.* Campana est signum quo fideles convocantur ad ædes sacras. Inde campanile, turris ex qua campana suspenditur. Anastas. in Leone IV. *Fecit etiam ibi ipsum campanile, & posuit campanam cum malleo æreo & cruce exaurato.* Vulgò campanarium. Leo Ostiens. Chron. Cass. libr. 3. cap. 26. *In ejus etiam fronte prope valvas majoris Ec-*

cleſiæ de quadratis ſaxis mirificam turrem, quæ campanarium vulgò vocatur, erexit.

IN ADRIANO.

Et tantummodo per ſuum iniquum argumentum erui fecit oculos Chriſtophori Primicerii. Argumentum eſt dolus, ars, calliditas. Gregor. Tur. libr. de glor. Confeſſ. in præfat. *Aut opus hoc à peritis accipi putas, cui ingenium artis non ſuppeditat, nec ulla literarum ſcientia ſubminiſtrat, qui nullum argumentum utile in literis habes, qui nomina diſcernere neſcis.*

Familias etiam, ſeu peculia ipſorum. Familiæ ſunt greges ſervorum, peculia ſunt pecora. Anaſtaſ. infrà hoc loco: *Et prædam multam tam de hominibus, quàm de peculiis abſtulerunt.* Et infrà: *Servos, ancillas, & peculia diverſa, atque res mobiles.* Gregor. libr. 10. epiſt. 12. *In peculio capita quindecim.* Ubi dixi. Peculia ſunt pecora, quia ſervi plerumque habent pecudes in peculio. Plaut. in Aſinar. *Etiam opilio qui paſcit alienas oves, aliquam habet peculiarem, quî ſpem ſoletur ſuam.*

Andream Referendarium & Stabilem Ducem. Referendarius eſt Cancellarius Regis, qui penes ſe habet ſigillum regium. Aimoin. libr. 4. cap. 41. *Beatus Audoënus Refendarius fuit Dagoberti Regis, qui Referendarius ideo eſt dictus, quòd ad eum univerſæ publicæ deferrentur conſcriptiones, ipſeque eas annulo Regis, ſive ab eo ſigillo ſibi commiſſo muniret, ſeu firmaret.* Idem Sigebert. in Chronic. ad ann. 634. *Dado fuit Referendarius Dagoberti Regis. Referendarius autem dicebatur, ad quem publicæ conſcriptiones referebantur, ut per eum annulo ſeu ſigillo Regis confirmarentur.*

Vnde ecce ſequipedes veſtros dirigere ſtudebo, meos Miſſos ad eundem veſtrum Regem. Latinis pediſſequus ſeu à pedibus eſt, qui pedes ſequitur dominum. Plaut. in Pœnul. *Dum ludi fiunt, in popinam pediſequi irruptionem facite.* Idem in Aulular. *Ancillas, mulos, muliones, pediſſequos.*

Pardum religioſum Egumenum præfectum Monaſterio beati Sabæ. Egumenus eſt Præpoſitus ſeu Prior Monaſterii. Anaſtaſ. in Leone III. *Sicut ipſe Hegumenus Monaſterii ſancti Eraſmi profeſſus eſt.* Paulus Diacon. libr. 19. *Et Egumenus Flori.* Et infrà eod. *Et Petrum Hegumenum ſancti Sabæ.* Et rurſus: *Direxit Dorotheum Egomenum Chryſopolitanum.* Idem libr. 24. *Et Petrum Egumenum Gytei.* Et infrà: *Theodorus autem Egumenus ſtudii.* A Græco

ἡγούμενος, Præpositus Monasterii, qui est Prior clausträlis sub Abbate. Unde Græci distingunt πατέρα καὶ ἡγούμενον τῆς μονῆς. Synod Nicæn. II. can. 13. & 14. Inde Egumenarchium pro Monasterio vel cella Abbatis. Anastas. infr. hoc loco: *Basilica verò Monasterii beati Anastasii Christi Martyris, unà cum Baptisterio & Egumenarchio.* Idem in Adriano II. *Et Theognisto Patriarchali Eugumeno.*

Albinus Delicioſus ipſius Regis. Delicioſus est, qui est in deliciis Principis. Aliis auricularius, qui gratiâ valet apud Principem. Lambert. Skafnaburgens. de reb. gest. German. ad ann. 1063. *Quantum Regi, quantum auricularii, quantum Episcopo datum sit, haud satis certò comperimus.* Ekkeard. Junior de Casib. Monast. S. Galli cap. 3. *Auricularem & intimum Episcopi.*

Cum Apostolicis admonitionum syllabis. Syllabæ pro literis, seu epistolis, quia componuntur ex syllabis. Evagr. libr. 3. cap. 16. συνοδικαῖς συλλαβαῖς, *literis synodicis.* Et idem cap. 3. ejusd. libr. ἐγκυκλίοις συλλαβαῖς, *encyclicis literis.* Marbod. Réd. Episc. ad Rainald. Episc. Andeg. *Ne quid odio tuo deesset, delere nomen meum de Catalogo præcepisti, priùs omnia, meas etiam syllabas persecutus.* Græcis σύλλαβος, est index libri. M. Tull. 4. ad Atticum: *Iisque imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Græci, ut opinor, συλλάβας appellatis.*

Spoletini & Reatini ad beatum Petrum confugium facientes, sanctissimo Hadriano Papæ se tradiderunt, & in fide ipsius Principis Apostolorum, atque prædicti sanctissimi Pontificis jurantes, more Romanorum tonsurati sunt. Spoletini & Reatini qui erant sub ditione Longobardorum, erant intonsi & barbati: unde à longis barbis & ferro intactis Longobardi dicti. Paul. Varnefrid. de gest. Longobard. libr. 1. c. 9. libr. 4. cap. 23. Otho Frisingens. de gest. Frideric. libr. 2. cap. 13. Tradentes se Romano Pontifici, in signum deditionis more Romanorum tonsurati sunt, quia Romani erant rasi & tonsi. Et hoc est quod repetit Anastas. infrà hoc loco: *Tunc post præstitum sacramentum omnes more Romanorum tonsurati sunt.*

Et Judices, Duces nempe, & Graphiones. Duces sunt Præfecti universæ Provinciæ, Graphiones Præfecti vel Judices civitatis. Cujus essent dignitatis Graphiones, colligere licet, quòd donationi Exarchatus Ravennatis factæ per Carolum M. beato Petro & ejus successoribus, Duces & Graphiones subscripsisse memoratur. Infrà: *Duces etiam & Graphiones in ea ascribi fecit.* Frede-

gar. in Supplem. Gregorii Turonens. cap. 74. *Scaram de electis viris fortibus de Austria & Burgundia cum Ducibus & Graffionibus secum habens.* Quos Graphiones, alii Graviones. Paulus Diaconus de gest. Longobard. libr. 5. cap. 36. *Hic dum Dux esset in Tridentina civitate, cum Comite Bajoariorum, quem illi Gravionem dicunt.*

Ubi eum cum bandora susceperunt. Carolus Magnus à Romanis susceptus cum bandora, id est, vexillo seu signo militari, eunte populo in ejus occursum. Bandum est vexillum. Paul. Diac. de gest. Longobard. libr. 1. cap. 20. *Tato verò Rodulfi vexillum, quod bandum appellant, ejusque galeam, quam in bello gestare consueverat, abstulit.* Suidas: Βάνδον ἔπος καλοῦσι Ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον τὸ ἐν πολέμῳ. *Bannum ita Romani signum militare appellant.* Idem Procop. de bell. Vandalico libr. 2. Inde bandora Anastasio. Radevic. de gest. Frideric. libr. 2. cap. 67. *Tunc Domini Cardinales Dominum Electum signis, banderis præcedentibus, ad Palatium usque cum jocunditate perduxerunt.* Italis *bandiera.* Aliis banerium. Albert. Argentinens. in Chronic. *Ecce irruit populus cum baneriis ad Palatium Consulis.* Et infrà: *Rex hoc audito statim banerium suum, quod dicitur Sturmholz, super turrim Spirensis Ecclesiæ constituit, & populo civitatis ad arma mandari per Magistros civium præcepit.* Nostris *baniere.*

Conjungente verò eodem Carolo Rege, omnes gradus sigillatim ejusdem sacratissimæ beatæ Petri Ecclesiæ deosculatus est. Carolus M. Rex Francorum Romam adventans, statim properavit ad Basilicam Beati Petri, & singulos ejus gradus religionis causâ exosculatus memoratur. Etiam pagani religionis causâ solebant osculari limina templorum. Tibull. libr. 1. eleg. 5. *Non ego si merui, dubitem procumbere templis, Et dare sacratis oscula liminibus.* Quo se refert Virgil. 2. Æneid. *Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.*

Donationis promissionem Carolus Francorum Rex ascribi jussit per Etherium religiosum ac prudentissimum Capellanum & Notarium suum. Capellani sunt Clerici Palatini qui ministrant in sacello regio: sic dicti à cappa S. Martini, quam Reges Francorum in expeditione circumferebant, quia erant custodes cappæ ipsius Sancti. Valafrid. Strabo de reb. Ecclesiastic. cap. 31. *Dicti sunt primitus Cappellani à cappa beati Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis solebant secum habere, quam ferentes & custodientes cum cæteris Sanctorum reliquiis, Clerici Cappellani cæpe-*

runt vocari. Idem Sangallensis de gest. Caroli M. libr. 1. *De pauperibus ergo suprædictis quendam optimum Dictatorem & Scriptorem in Capellam suam assumpsit, quo nomine Reges Francorum, propter cappam sancti Martini, quam secum ob sui tuitionem & hostium oppressionem jugiter ad bella portabant, sancta sua appellare solebant.* Hinc Annales Francor. *Folradus Presbyter Cappellanus.* Et Archicapellanus sacri palatii est Major seu Præpositus Clericorum capellæ regiæ, quales fuisse memorantur Hilduinus Abbas, & Drogo Metensis Episcopus tempore Ludovici Pii. De quibus Aimoin. libr. 5. cap. 10. 17. 19. *Etherius fuit Cappellanus & Notarius Caroli M.* Quandoque Reges utebantur Clericis capellæ suæ in Notarios propter peritiam, ut hoc loco Etherius fuit Capellanus & Notarius Caroli M.

Quam prius super altare beati Petri, & post modum in sancta ejus confessione ponentes. Donatio Exarchatus Romani, seu confirmatio, ejusquæ olim facta erat à Pipino, deposita super altare beati Petri, & super ejus confessione, id est, sepulcro. Donationes piæ fieri solebant instrumento donationis impositio super altare, ut hic; vel glebâ fundi impositâ super altare, vel traditâ in manu Episcopi vel Abbatis, vel cujuscumque Antistitis, quod dicebatur scotatio, cap. 2. *De consuetudin.* Ubi dixi. Moribus Anglicis donatio fiebat per traditionem gladii, galeæ, cornu, vel crateris, calcaris, strigilis, arcus, vel etiam sagittæ. Ingulfus in Chronic. Croyland. *Conferebantur antea multa prædia nudo verbo, absque scripto, vel charta, tantùm cum domini gladio, vel galea, vel cornu, vel cratera; & plurima tenementa cum calcari, cum strigili, cum arcu; & nonnulla cum sagitta.*

Apparem ipsius donationis per eundem Etherium ascribi faciens. Appar est exemplum instrumenti, quòd exemplum ducitur à pari. Apud Gregorium libr. 1. epist. 79. libr. 7. epist. 39. & libr. 10. epist. 7. inscribuntur *à paribus.* Id est, paribus exemplis scriptæ ad diversos Defensores.

Inter super corpus beati Petri, subtus Evangelia, quæ ibidem osculantur. Super corpus beati Petri proposita sunt Evangelia, quæ orantes osculantur religionis causâ. Maximus semper fuit cultus Evangeliorum & gratia circa cautiones morborum, maximè febrium. Hinc febris curandæ causâ Evangelium ad caput apponi moris est. Augustin. in Joannem cap. 7. *Quid ergo cùm caput tibi dolet, laudamus si Evangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris?* Et infrà: *Gaudemus quando videmus homi-*

nem in lectulo suo constitutum jactarifebribus & doloribus, vel alicubi spem posuisse, nisi ut sibi Evangelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum Evangelium ligaturis. Hinc Evangelia collo suspensa gestantur amuleti vice. Joan. Chrysostom. in Matth. Homil. 73. in illa verba, *Phylacteria sua dilatant:* ἃ φυλακτήρια ἐκάλεν, ὡς πολλαὶ νῦν τῶν γυναικῶν, εὐαγγέλια τῶν τραχήλων ἐξαρτῶσαι ἔχουσι. *Hæc phylacteria vocabant, sicut multæ mulierum modò faciunt, Evangelia ex collo dependentes.* Quæ verba sua fecit Isidorus Pelusiota Chrysostomi discipulus, lib. 2. epist. 150. in illud, *Idem magnificant phylacteria:* ὥσπερ νῦν αἱ γυναῖκες τὰ εὐαγγέλια τὰ μικρά. *Quemadmodum etiam nunc fœminæ parva Evangelia.* Necnon Evangelium in singulorum ædibus asservari moris erat, præsidii causâ adversus dæmones. Jo. Chrysostom. εἰ γὰρ ἐν οἰκίᾳ ἔνδον ἐν εὐαγγέλιον ἢ κείμενον, οὐ τολμήσει πεσεῖν ὁ διάβολος. *Nam si in quacumque domo Evangelium est, illuc diabolus ingredi non audet.* Missu Evangelii incendium compescitur. Gregor. Tur. de vit. Patr. cap. 6. de S. Gallo Arvernensi Episcopo: *Surgensque Evangeliis comprehensis, igni se obtulit.* Juraturi reverentiæ causâ manus non imponebant Evangelio, nisi priùs lotas, Ambros. in Psalm. 61. *Juravit ne peierare, lavit manus, cùm Evangelium tangeret, ne quid deesset exemplo.* Jo. Chrysostom. Homil. 7. ad Antiochenos: καὶ εἰ μὲν εὐαγγέλιον καταχεῖν δέον, τὰς χεῖρας ἀπονιψάμενος, μὴ πολλῆς δὲ αἰδοῦς, καὶ δὲ λαβείας κεῖτον, καὶ διδοικὼς κατέχεις. *Et si Evangelium quidem capere oporteat, manibus lotis, & cum multa reverentia & religione, tremens & timens sumis.*

Item in eadem Basilica ab introitu de rugas usque ad confessionem, pavimentum vestivit de argento purissimo. Rugæ sunt semitæ per quas proceditur ad altare. Anastas. infr. hoc loco: *Fecit & laudanas duas ex argento, pensantes libras octo, quas posuit super rugas de Presbyterio, ubi arcus de argento existit.* Et infrà: *Fecit etiam imagines sex ex laminis argenteis investitas, ex quibus tres posuit super rugas, quæ sunt in introitu Presbyterii, ubi & regularem ex argento investito fecit.* Idem in Nicolao I. *Porro in purpureis marmoribus, quæ ante corpus beati Petri Apostoli rugas argenteas retinent, dextra lævaque duas cruces argenteas offerens posuit.* Idem in Stephano IV. *Fecit & tres regulares argenteos super rugas, per quas ingrediuntur ad altare.* Inde rugulæ diminutivum rugæ. Idem in Leone IV. *Isdem verò sanctissimus Papa fecit rugulas de argento fusiles cum cancellis in ingressu Presbyterii.*

Fecit etiam in eadem ipsa Basilica beati Petri juxta januas majores argenteas cortinas mirae magnitudinis de palliis stauracin, seu quadrapolis. Cortinæ hîc sunt vela. Ambros. epist. 33. *Tradere Basilicam non possum, sed pugnare non debeo; postea vero quàm cognoverim cortinas regias inde esse sublatas.* Et infrà: *Exactus est totus ille dies in mœrore nostro, scissæ sunt ab illudentibus priùs cortinæ regiæ.* Augustin. libr. 2. quæst. in Exod. cap. 173. *αὐλαίας quas Græci appellant, Latini aulæa perhibent, quas cortinas vulgò vocant.* Isid. Origin. libr. 19. cap. 26. *Cortinæ sunt aulea, id est, vela de pellibus, qualia in Exodo leguntur, à quibus tabernaculum extrinsecùs tegebatur. Dictæ autem cortinæ à coriis, eo quòd priùs ex pellibus fuissent factæ.* Idem Anastas. infrà hoc loco: *Item fecit in eadem Basilica beati Pauli Apostoli cortinam majorem juxta januas principales, ex palliis quadrapolis, ad instar cortinæ, quam in Ecclesia beati Petri fecit.* Idem in Leone III. *Cortinas majores Alexandrinas holoserico ornatas in circuitu de fundato.* Pallia stauracina, seu quadrapola, sunt pallia serica auro & argento intexta plumatio opere. Anastas. in Sergio: *Interius plumatium ex holoserico superpositum, quod stauracis dicitur, invenit.* Et idem infrà hoc loco: *Vela de stauraci seu Tyria numero triginta octo.* Et infrà: *Vela de stauracin seu octapli numero viginti duo.* Hujusmodi vela erant variis filis intexta: unde dicta quadrapola, ut hîc, & infrà: *Fecit vestem de stauracin, seu cortinam majorem ex palliis quadrapolis, sed & per diversos arcus vela syrica numero quinquaginta septem, omnia ex palliis quadrapolis seu stauracin.* Stauracium à staurace, quod est genus guttæ malo Sydonio simile conficiendæ purpuræ aptum, deducit Papias: *Stauracium genus palliorum depictorum ex storace, quæ gutta similis est mali Cydonii.*

De palliis Tyriis atque fundatis fecit vela numero sexaginta quinque. Pallia fundata sunt pallia auro intexta, & quasi fundata. Anast. in Leone III. *Fecit in gremio Basilicæ beati Petri Apostoli cortinam majorem Alexandrinam holosericam, habentem in medio aljunctum fundatum, & in circuitu ornatum de fundato.* Fundatum pro auro, inde funda vel fundus est marsupium. Macrob. libr. 2. cap. 4. *Demissâ in fundum, id est, crumenam pauperem, manu, protulit paucales nummos, quos Principi daret.*

Fecit in ea Basilica calicem fundatum argenteum pensantem libras quinque. Calix fundatus est calix signis insculptus. Vela de fundato sunt vela aureis signis intexta. Idem in Leone IV. *Vela de fundato, quæ ad nitorem ipsius in arcu videntur Ecclesiæ pendere*

duodecim. Alibi fundatum pro fundatione. Gu. Tyr. libr. 12. cap. 25. *Vnde ipse Rex Hierusalem, & nos omnes Duci Venetorum de fundato Tyri, ex parte Regis, festo Apostolorum Petri & Pauli trecentos in unoquoque anno Byzantios Sarracenatos ex debiti conditione persolvere debemus.* Apud aurifices quos vocant inclusores gemmarum, funda est reticulum ex auro, fundæ simile, quo gemmæ includuntur. Plin. libr. 37. cap. 8. de generibus Topazii: *Quamobrem præstantiores fundâ clauduntur, id est, patentes, nec præterquam margines auro amplectente.* Idem c. seq ejusd. libr. *Hiacinthi fundâ includuntur.* Vestes pretiosas etiam fundatas dici, non est quòd æquent pretium fundi, vel plerumque emantur ex pretio fundi. Plaut. in Epidico: *Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.*

Nam absidam ipsius Ecclesiæ cernens isdem beatissimus Pontifex jam ruinæ vicinam existentem, cancellis ferreis eandem absidam confirmari fecit. Fortè legendum *cancellis.* Anastas. in Hilaro: *In medio cancellis æreis.* Et Anastas. ipse infrà hoc loco: *Solarium suum cum cancellis æreis construi fecit.* Leo Ostiens. Chr. Cass. lib. 3. cap. 31. *Fecit & cancellos ex ære quatuor ante altare.*

Fecit & laudanas duas ex argento pensantes libras octo, quas super rugas de Presbyterio. Laudanæ sunt Ecclesiastica vasa quæ ornatus causâ ex auro vel argento collocabantur ante altaria. Papias: *Laudanæ Ecclesiastica vasa.* Sic dicta à laude, quia ponebantur in laudem & cultum Apostolorum & Martyrum. Laus, pro cultu; laudare, pro colere, celebrare. Adam. Bremens. Hist. Ecclesiastic. libr. 3. cap. 25. *Sub obtentu fœderis contra Saxones arma laudata sunt.* Ditmarus libr. 3. *Ibi tunc Rex à præfato Comite & à primis illius regionis collaudatur in dominum.* Idem libr. 6. *Henrico* (Duci Bavariæ) 12. *Kal. Aprilis, cum omnium laude præsentium, cumque hasta signifera Ducatum dedit.* Inde laudamentum pro approbatione, vel assensu, quòd qui alicujus judicium probat, laudare videtur. Radevic. de gest. Frideric. libr. 1. cap. 10. *Laudamentum à Papa Adriano accepisse memoratur, ut & scriptura pariter, atque pictura talis de medio tolleretur.* Idem libr. 2. cap 11. *Accepto de hac probabili petitione fideli laudamento, ad propria reversus est.*

Et quinquaginta panes pensantes per unumquemque panem libras duas, simulque & decimatas vini duas, pensantes per unamquamque decimatam libras sexaginta. Decimata est mensura vini 60. librarum.

Et

Et caldaria plena de pulmento. Caldaria, olla seu cacabus, ubi pulmentum coquitur. Nostris *une chaudiere.* Pulmentum propriè pultem significat, vel cibum in modum pultis conditum. Isidor. Origin. libr. 20. cap. 2. *Pulmentum verò laxiùs sumptum, pro quolibet eduli, vel obsonio, præter panem, sumitur.* Plin. libr. 18. cap 8. ut pro carne paulò infrà hoc loco: *Necnon & carnem de pulmento.*

Portionem vini, id est, cuppam capientem calices duos. Vinum è torculari primùm mitti solebat in dolia, quæ plerumque erant defossa in cellis vinariis: inde postea diffundebatur in amphoras & cados, vendendi, vel utendi causâ, L. *Quod sæpe.* § ult. ff. *de contrah. empt.* L. pen. *de tritic. vino vel oleo legat.* Rursus ex amphoris vel cadis vinum transferebatur in cuppas, unde promebatur usûs causâ. Augustin. 9. Confess. cap. 18. *Nam cùm de more tamquam puella sobria juberetur à parentibus de cuppa vinum depromere.* Et caupones solebant vinum custodire in cuppis, quæ erant vasa minora amphoris & cadis. Et hoc est quod Pisoni objiciebat M. Tullius, quòd panem & vinum in penu non haberet, sed vinum sumeret à propola, id est, caupone, & de cupa: *Pistor domi nullus, nulla cella, panis & vinum à propola atque de cupa.* Cuppa hîc est vas vinarium quod continet calices duos. Et hoc est cuppæ genus quod cupellam vocitat Ambros. de Tobia cap. 14. *Si quis instaurandum convivium putat, ad negotiatorem mittit, ut absynthiaci cupellam sibi gratis deferat; cauponem dirigit, ut Picenum vinum, aut Tyriacum requirat.* Aliæ erant cuppæ majores, quæ vini servandi causâ deponebantur in cellis vinariis. Augustin. in Exodum cap. 109. *Anconicos autem dicit, quos vulgò vocamus ancones, sicut sunt in columnis cellarum vinariarum, quibus incumbunt ligna, quæ cupas ferunt.*

Cum fundis & casalibus vineis, olivetis, atque molis. Molæ sunt molendina, in quibus triticum molitur, id est, teritur, ut infrà: *Aineis aquimolis.* Casalia sunt prædia suburbana, in quibus est casa seu tectum. Jacob. à Vitriac. Hist. Occidental. libr. 2. cap. 2. *Non solùm civitates & oppida, sed etiam casalia repleverant.*

Et lecticariam quæ vocatur Asprula. Lecticaria videtur esse prædium suburbanum, quo paterfamilias secessûs causâ eundo lecticâ vehi solet. Veteres rus petendo sellâ aut lecticâ vehebantur, L. *Qui sella aut lectica.* ff. *de servitut. rustic. prædior.* L. *Item legato. de legat.* 3. Hinc & gestationes dicebantur loca ipsa, per quæ deambulandi causâ sellâ vel lecticâ vectabantur, ut in L.

Si cujus. §. *Fructuarius.* ff. *de usufruct. Viridaria vel gestationes.* Quod probatur & L. *Interdum.* ff. *Quod vi aut clam.*

Vbi & deambulatorium scilicet solarium suum, cum cancellis æreis, nimis pulcherrimè constrvi fecit. Solarium est tabulatum projectum extra ædes, deambulandi & in sole apricandi gratiâ, L. 12. §. *Item illud.* C. *de ædific. privat.* Menianum à nomine inventoris. Hieronym. in Ezech. lib. 12. cap. 42. ἐξώστρας *autem Romæ appellant solaria, de cœnaculorum parietibus eminentia, sive meniana, ab eo qui ea primus invenit, quæ nonnulli Græcorum* ἐξώστρας *vocant.* E solario David Bersabeam lavantem aspexit, & concupivit. Petrus Apostolus horâ sextâ in solarium pransurus ascendit, Act. Apost. Hieronym. 2. ad Jovinian. *Petrus Apostolus non expectans stellam more Judaïco, sed horâ sextâ in solarium pransurus ascendit.* Solarium cancellis æreis erat munitum, propter casûs periculum. Solarium à Leone III. extructum restituit Leo IV. Anastas. in Leone IV. *Nam & solarium quod beatæ memoriæ Leo tertius Papa constrvxerat, noviter pulcriùs in meliorem speciem restauravit.* Idem in Leone III. *Necnon & solarium ab imo usque ad summum noviter restauravit.* Idem in Gregorio IV. *Domum satis dignam undique porticibus, ab solariis circumdatam.*

Fecit etiam imagines sex ex laminis aureis investitas. Investitas dixit, pro factis, ut interpretatur ipse auctor infr. *Vtrasque verò sex imagines, de laminis argenteis, nimis pulcherrimè factas deauravit.*

Forma quæ vocatur Sabbathina, per quam decurrebat aqua per centenarium in atrio Ecclesiæ beati Petri Apostoli. E forma Sabbathena aqua decurrebat per centenarium in atrium Ecclesiæ B. Petri. Et hoc est quod repetitur infrà hoc loco: *Et confestim centenarium illud, quod ex eadem forma in atrio Ecclesiæ beati Petri decurrebat.* Centenarium est fistula plumbea per quam è forma Sabbathena aqua ducebatur in atrium Basilicæ B. Petri, ut indicant verba quæ proximè sequuntur: *Dum per nimiam neglectûs incuriam, plumbum ipsius centenarii furtim jam plurima ex parte exinde ablatum fuisset, reliquum plumbum conquassatum, protinus isdem præcipuus Pastor addita multitudine plumbi ipsum centenarium noviter fecit.* Anastas. in Nicolao I. *Formam aquæ quæ vocatur Tocia, per quam decurrebat aqua per centenarium in urbem Romanam.* Adrianus aquæductum Sabatenum viâ Aureliâ deduxit in Vaticanum è lacu Sabateno, qui est in Tuscia, quem angularem vocant à tribus angulis, quos præ se fert, si credimus Platinæ in Vit. hujus Pontific. vel anguillarium, ab anguillis quibus abundat.

Hodie Lacum Braciani à vicino ejus nominis oppido vocant. Lacus Sabareni meminit L. *Rutilia Polla. de contrah. emp.* Pancirol. variar. Lect. libr. 2. cap. 38.

Dum per olitana tempora. Olitanum idem quod antiquum, à Latino *olim*, ut infrà hoc loco: *Exemplo olitano.* Et rursus: *Olitanas trabes.* Anastas. in Leone IV. *Per olitana curricula temporum.*

Mittens Ianuarium Vestiararium suum. Lege, vestiararium suum: & ita emendandus alter locus infrà: *Ianuarium fidelissimum Vestiarium suum.* Vestiarius est præpositus vestiarii Pontificii. Anastas. in Leone III. *Qui à parva ætate in vestiario Patriachii enutritus.* Et infrà: *Et dum taliter in ipso vestiario præcipuè degens splenderet, & ejus solertissimam curam ipse Vestiarius diligeret.*

Et constituit, ut per unamquamque hebdomadam quintæ feriæ die, cum psallentio, à diaconia usque ad balneum pergeret. Processio cum psallentio, id est, cantu Psalmorum fieri solebat. Gregor. Tur. Hist. Franc. libr. 10. cap. 9. *Ebraccharius verò usque Venetias urbem accessit: miserat enim ad eum obviàm Episcopus Regalis clericos suos cum crucibus & psallentio.* Idem de Mirac. Martyr. libr. 1. cap. 76. *Cùm veneris, audies in psallentio vocem ejus.* Idem libr. 2. cap. 34. *Vigilata nocte cum grandi psallentio.*

Plusquam duodecim millia tufos in litore alvei fluminis in fundamentis ponens. Tufus vel tophus, est genus lapidis quo usi veteres ad ædificia publica & privata. Gallis *Tuf.* De quo auctor infrà: *Monumentum de Tiburtino tufo.* Frontin. de Aquæductib. libr. 2. *Pilæ quoque ipsæ topho extructæ, sub tam magno onere labuntur.* Tophum vocat Virgil. 2. Georgic. *Et tophus scaber, & nigris exesa chelidris Creta.* Plin. lib. 17. cap. 4. *Nam tophus scaber naturâ friabilis expetitur.* Idem libr. 11. cap. 37. *Pilæ rotunditate nigricans tophus nullo pondere.* Papias: *Tophus lapis cavernosus & mollis.*

Diaconiam verò sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, Scholæ Græcæ quæ appellatur Cosmedin, restauravit. Romæ quamplures fuere Diaconiæ: has inter fuit Diaconia S. Mariæ in Cosmedin, aliàs Scholæ Græcæ. Anastas. in Leone III. *Et in Diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Cosmedin.*

Et Basilicam Hierusalem quæ in Sessoriano sita est. Hæc est Basilica S. Crucis in Hierusalem, quæ sita est in Sessoriano. Anastas. in Leone III. *Et in Ecclesia Hierusalem quæ ponitur in Sessoriano, fecit coronam.*

* *Basilicam SS. Rufinæ & Secundæ, quæ ponitur in Episcopio Silvæ*

Candidæ. Episcopus SS. Rufinæ & Secundæ erat unus è septem Cardinalibus: sed quum civitas propter crebras barbarorum incursiones exhausta incolis, unita esset à Calixto II. Portuensi, nonnisi sex Episcopi Cardinales fuere. Onufr. Panvin. de Cardinal.

Et in auro solidos mancusos numero ducentos. Mancusi nummi aurei & argentei, quasi manu cusi. Anastas. in Leone IV. *Multosque ei in argento mancosos præbuit.* Joannes VIII. epist. 89. *Census 25. millium in argento mancusorum annualiter additus, civilis mucro angustiæ est.* Hinc facilè emendatur alter locus Anastasii in Leone IV. *Obtulit crucem de auro unam habentem in medio monocossium.* Lege, *mancusum.*

Idem verò Præsul à novo dedicavit, atque constituit Monasterium sanctorum Hadriani, atque Laurentii, quòd in ruinis marcescebat à priscis temporibus, & tanquam crypta à sæcularibus inhabitabatur. Olim sæviente persecutione cryptæ erant conditoria Martyrum; reddita pace Ecclesiæ, inde translatis reliquiis Martyrum, cryptæ factæ sunt habitacula tenuiorum & pauperum: & hoc est quod dicit Auctor, Monasterium SS. Hadriani & Laurentii Monachis destitutum, tanquam cryptam à sæcularibus inhabitatum fuisse. Cryptæ fuere & latibula sese occultantium. Jo. Diacon. lib. 2. cap. 14. *Retrusas cryptas juxta Flaminium portum invenientes, in eis sese occultaverunt.* Et infrà mox: *At equi ante cryptas illas venerunt, in quibus se Monachi absconderant.*

Basilica verò Monasterii beati Anastasii Christi Martyris unà cum Baptisterio & Egumenarchio exusta. Basilicæ B. Anastasii Martyris adjunctum erat Baptisterium, id est, Ecclesia baptismalis, & Egumenarchium, id est, Monasterium. Ea ætate cura animarum fuit penes Monachos, ex dispensatione apostolica, Can. *Doctos.* Can. *Sunt nonnulli.* Can. *in Parochia.* 16 qu. 1. Sed Constitutione Urbani II. hæc eis interdicta est, Can. *Sanè quia.* 16. qu. 2.

Et in altari majori Ecclesiæ beati Petri Apostoli fecit ex auro purissimo diversas historias pensantes libras quingentas nonaginta septem. Historiæ sunt figuræ, quæ continent historiam, id est, vitam, Sanctorum, illustrium personarum, vel figuras animalium. Anastas. in Leone IV. *Vestem perfecit habentem historiam sancti Martini jacentis in lectulo.* Et infrà: *Vestem de fundato unam habentem historiam sanctorum Martyrum.* Et infrà: *Coronam ex ar-*

gento cum historiis à foris circumdatam. Idem in Leone III. *Et alias duas absidas, diversas historias pingens super marmorum incrustatione.* Idem in Nicolao : *Cum chrysoclavo habente historiam, leonum figuras.* Vel miracula Christi & Sanctorum. Gregor. Tur. de gloria Confess. cap. 35. *Quia ipsæ historiæ sepulcrorum de virtutibus Domini & Apostolorum ejus expositæ sunt.*

Ita ut in via lata, amplius quàm duas staturas ejusdem fluminis, aqua excrevisset. Statura hîc pro statura hominis. Joannes Diaconus lib. 4. cap. 83. *Gordiani patris Gregorii statura longa, facies deducta.* Eginart. in Vit. Caroli M. *Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen justam non excederet.*

IN LEONE III.

PARI modo & in basilica beati Petri Apostoli, atque in basilica Salvatoris instar imagines fecit. Instar imagines dicuntur similes imagines, ut infr. eodem : *Necnon & in titulo Ceciliæ instar fecit coronam ex argento.*

Verùm etiam & cortinas albas holosericas rosatas, habentes in medio crucem de chrysoclabo, & periclysin de fundato unam. Cortinæ rosatæ sunt cortinæ seu vela serica rosei coloris, ut infrà hoc loco : *Sed & super altare majus fecit vela holosericа alithina quatuor cum hastillis & rosis chrysoclabis.* Et infrà : *Vestem albam rosatam cum chrysoclabo.* Et infr. *Vela alba holosericа pendentia inter columnas majores dextrà lævâque, numero quadraginta duo, ex quibus undecim rosata.* Crux de chrysoclavo est crux ornata clavulis aureis. Etiam vestes sericæ solebant ornari clavis aureis. Anastas. infr. hoc loco : *Sed & super altare majus fecit tetra vela holosericа alithina quatuor cum hastilis & rosis chrysoclabis.* Idem in Benedicto III. *Et vela duo de olovero cum cruce de olovero, & lista similiter de chrysoclavo.* Et infrà : *Similiter & vestem de purpura imperiali munda super altare majus ex omni parte, cum historia & cancellis & rosis de chrysoclavo.* Et rursus : *Camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclavo.* Et hoc est quod auro clavatum dixit Vopiscus in Tacito : *Auro clavatis vestibus idem interdixit.* Periclysis est fimbria seu limbus vestis, à Græco περιχλύζω, circumluo. Anastas. infr. hoc loco : *Cortinam majorem sericam albam habentem periclysin.* Et rursus : *Vestem albam holosericam habentem periclysin de Tyrio.*

Sarta verò tecta Basilicæ beati Petri Apostoli, id est, navem majo-

rem, sed & aliam navem super altare cum quadriporticu. Navis pars media Ecclesiæ à forma structuræ, quæ est in modum navis. Veteres glossæ G. L. ναὸς, templum ædis: inde προναον, vestibulum templi. Eædem: πρόναον, ante templum. Anastas. infr. hoc loco: *Simulque & in nave quæ est super altare, sarta tecta omnia noviter restauravit.* Idem in Benedicto III. *Sarta tecta Ecclesiæ beati Petri Apostoli, id est, navem majorem, & aliam navem quæ super corpus ejus est.* Ingulphus in Chronic. Croyland. *De namque illo meremio adhuc Domino Turketulo Abbate superstite, consummata est navis Ecclesiæ.* Ædes sacræ & opera publica lustrabantur inspiciendi gratiâ, an sarta tecta, id est, integra essent, an refectione indigerent, L. 7. §. 2. ff. *De offic. Proconsul.* Sarta tecta sunt modicæ refectiones, quæ ad onus fructuarii pertinent, L. 7. §. *Hactenus.* ff. *de usu-fruct.* Sarta tecta præcepta habere dixit Plaut. in Trinummo: *Sarta tecta tua præcepta usque habui meâ modestiâ.* Sarta tecta ædium sacrarum locabantur redemptoribus. Plin. libr. 35. cap. 3. *M. Ausidius tutelæ Capitolii redemptor.*

Vestem de chrysoclabo, habentem historiam Nativitatis, & sancti Simeonis, & in medio cheritismon. Cheritismos corruptè legitur pro cherismos, quod est species armillæ ex gemmis vel margaritis. Vox composita à Græco χειρ, manus, vel etiam brachium. Inde dextrocherium, pro armilla quæ apponitur dextræ: vox composita à Græco & Latino. Capitolinus in Maximino: *Pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo.* Ambros. sermon. 90. *Et annulo fidei subarravit me, ornavit me inæstimabili dextrocherio.*

Item velum alithino rotatu habens periclysin, rotas cum cancellis. Velum habens rotas textiles ex auro. Idem in Leone IV. *Vestem albam cum rosis habentem rotas septem.* Item: *Vestem albam de chrysoclavo cum rotis sex.*

Columnas argenteas octo, & gammadia duo. Gammadium vel gammadia, est vestis insignita vel intexta formis auro expressis in modum litteræ γ, ut infrà hoc loco: *Et tabulas chrysoclabas quatuor cum gemmis ornatas, atque gammadias in ipsa veste chrysoclabas quatuor.* Et infrà: *Vestem de stauraci cum cruce & gammadiis.* Hesichius: γάμμα σολὴ ἔχουσα σταυρὸν ὡς γάμμα.

Vasa colatoria argentea deaurata pens. libras quatuor & uncias tres. Colatorium est vas, quo in sacris officiis vinum ex ampullis effundebatur in calicem. Anastas. in Sergio II. *Colatorium*

de argento, quod in sacro utitur officio, deauratum unum. Vox desumpta à Latino *colare*, quod est stillatim effundere. Malach. 3. *Colabit eos, quasi aurum & quasi argentum.* Petrus Blesensis epist. 25. *Isti sunt quasi spongia in manu prementis, quasi quædam colatoria divitias suas dominus influentes, & execrandis acquisitionibus, nihil sibi præter peccati sordem & sæculentiam retinentes.* Hinc colatum vas, quo vinum transfunditur. Isidor. Origin. lib. 20. cap. 3. *Colatum vas proprium, in quo vinum deportatur.* Colum est tubus seu fistula, per quam vinum è poculo defluit. Virgil. 2. Georgic.

Colaque proclorum fumosis deripe tectis.

Fecit autem & in Patriarchio Lateranensi triclinium, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis stravit. Triclinium stratum marmoreis tessellis, quæ dicta sunt exempla. Et infrà: *Et in pavimento marmoreis exemplis stratis.* Et hoc est quòd infrà dixit, marmoribus sculptis: *Sed & Presbyterium ex marmoribus sculptis ornavit.*

Vestem album holosericam ornatam in circuitu blatti Byzantei. Blatti vel blatta est purpura Byzantina, quæ erat laudatissima, ut infrà hoc loco: *Et in titulo Calixti vestem chrysoclabam ex blattin Byzanteo, habentem historiam Nativitatis Domini, & sancti Simeonis.* Et rursus: *Et in basilica sanctorum Cosmæ & Damiani fecit vestem de blathi Bysanteo, cum periclysi de chrysoclabo.* Et infrà: *Vela modica de fundato ornata in circuitu de blatthin Bizanteo, & investita de blattin Neapolitano.* Anastas. in Paschali: *Item aliam vestem de blattin Bizantea.* Byzantium mutato nomine à Constantino, dicta est Constantinopolis: sed in nummis & aliis priscum nomen retinuit, ut Byzantini dicti sunt numi, qui cudebantur Constantinopoli. Baldric. Hist. Hierosolymit. libr. 7. *Constantinopolim quæ vocabulo antiquiori Bysantium dicta fuit, unde & adhuc monetæ civitatis denarios Bysanteos vocamus.* Willelm. Tyrius de Bello sacr. libr. 12. cap. 25. *Trecentos in unoquoque anno Bysantios Sarracenatos.* Byzantini Chironomontæ seu obsoniorum sectores. Sidon. libr. 4. epist. 7. *Inter Apicios epulones, & Bysantinos Chironomontas.*

Cum die quadam more solito in lætaniis, quæ ab omnibus majores appellantur, procederet. Lætania major est ea lætania quæ instituta est à Gregorio I. à Basilica seu titulo Jurentii Martyris ad B. Petrum. Gregorius libr. 2. in pr. & libr. 11. cap. 2. Gregor. Tur. de Gest. Franc. libr. 10. cap. 1. & Joannes Diacon.

libr. 1. cap. 4. cujus meminit Martyrolog. R. 25. Maii: *Romæ litaniæ majores ad S. Petrum.* Ekkehard Junior de casibus Monasterii S. Galli cap 6. *Letania major Dominicam præcedit, fratribus cruces alias sequentibus.* Hæc letania solebat indici per Notarium Ecclesiæ Romanæ. Anastas. infr. hoc loco: *Et secundùm olitanam traditionem, à Notario sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in Ecclesia B. Georgii Christi Martyris in ejus natali, ipsa letania prædicata fuisset.* Quàm solemnis esset processus letaniæ majoris, intelliges ex eo quòd historia, id est, species letaniæ majoris effingi solebat in vestibus sacris. Anastas. infr. hoc loco: *Et aliam vestem chrysoclavam habentem historiam letaniæ majoris.*

Vbi dum prædictus venerabilis Pontifex, à Patriarchio egressus fuisset, obviàm illi sine planeta iniquus nec dicendus Paschalis Primicerius occurrit, & in hypocrisi veniam ab illo petebat, dicens: Quia infirmus sum, & ideo sine planeta veni. Notatur Paschalis Primicerius, quòd Leoni III. insidias meditans, de more procedendi in letania majori occurrerit sine planeta, & ut dolum tegeret, se excusarit infirmitatis obtentu. Planeta est vestis sacerdotalis, sic dicta à Græco πλάνη, quia circum corpus quasi errans vagatur. Papias: *Planeta vestis dicta, quia errantibus evagatur.* Hac veste usus est Gordianus pater Gregorii. Joannes Diaconus libr. 4. cap. 83. *Cujus Gordiani habitus castanei coloris planeta est: sub planeta dalmatica dicitur & casula, quia totum hominem tegit, quasi casula.* Papias: *Planeta Græcè, Latinè dicitur casula, quia totum tegit, & significat caritatem.* Planeta est vestis Sacerdotum, mappula Diaconorum: inde planetati & mappulati distinguuntur. Jo. Diacon. libr. 2. cap. 43. *Cumque magi ex planetatorum, mappulatorumque processionibus, magnum Pontificem cognovissent.* Et Anastas. in Adrian. II. *Obviati omnibus scholis, omnibusque clericorum planetatis ordinibus ad portam auream veniunt.*

Simul etiam & cunctæ scholæ peregrinorum, videlicet Francorum, Frisonum, Saxonum, atque Longobardorum, simul omnes connexi, ad Pontem Milvium cum signis & bandis & canticis spiritualibus susceperunt. Scholæ peregrinorum per gentes distinctæ, cum signis & bandis, id est, vexillis, obviæ occurrere Leoni III. Romæ peregrini confluentes ad limina Apostolorum erant distincti per scholas, id est, habitacula seu xenodochia, quæ ascripta erant singulis Nationibus. Schola Saxonum fuit Romæ, cujus meminit Anastas. in Leone IV. *Super posterulam quæ respicit ad*

scholam

ſcholam Saxonum. Romæ fuit & ſchola Anglorum pro ſuſceptione peregrinorum Anglicorum Romam adventantium. Ingulph. in Chronic. Croyland. *Et Romam petens in pacis diebus defunctus, ibidem in ſchola Anglorum ſepultus eſt.*

Univerſi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates unanimiter audientes dixerunt: Nos ſedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus. Ro. Pontifex à nemine judicari potuit: ideo Leo III. falsò inſimulatus à quibuſdam, jurejurando ſe purgavit. De quo Can. *Auditum.* & ſeq. 2. qu. 5. Aimoin. libr. 4. cap. 90.

Et Pontifex unxit oleo ſancto Carolum. Pari modo Sergius II. Ludovicum Lotharii Imperatoris filium unxit & coronavit in Regem Longobardorum, & regali gladio accinxit. De quo Anaſtaſ. in Sergio II. *Tunc almificus Pontifex manibus ſuis ipſum H Ludowicum Lotharii Imperatoris filium oleo ſancto perungens, regali ac pretioſiſſima coronavit corona, Regemque Longobardis præfecit, cui regalem tribuens gladium, illum ſubcingere juſſit.*

Obtulit crucem cum gemmis hyacinthinis, quam almificus Pontifex in letania præcedere conſtituit. In letaniis Crux præfertur. Ne letaniæ fiernt ſine cruce, vetuit Nov. Juſt. 123. cap. 32. Imò & in letaniis plures cruces præcedebant. Anaſtaſ. in Benedicto III. *Fecit cruces argenteas ſeptem, quæ per olitana tempora per omnes catholicas Eccleſias more ſolito præcedebant.* In letaniis etiam præfertur icona ſeu imago B. Mariæ Virginis. Anaſtaſ. in Leone IV. *Dum hæc agerentur, præclarus & celeberrimus dies advenit, in quo beatæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ Aſſumptio celebratur. Tunc præfatus & univerſalis Papa à Patriarchio cum hymnis & canticis ſpiritalibus, ſancta præcedente icona, ad Baſilicam ſancti Hadriani Martyris, ſicut mos eſt, propriis pedibus cum omni clero perrexit.*

Increpabat Campulus Paſchalem dicendo: Malâ horâ faciem tuam vidi, eo quòd tu me miſiſti in iſtud periculum. Malè ominamur, cùm, malâ horâ, dicimus. Gregor. Tur. Hiſt. libr. 6. cap. 45. *Cùm de porta egrederetur, uno carrucæ effracto axe, omnes, malâ horâ, dixerunt.* Simon Comes Montisfortis, apud Matth. Paris ad ann. 1252. in hæc verba adverſus Regem erupiſſe memoratur, *Malâ horâ, ipſum tale verbum à faucibus ejus miſiſſe.* E diverſo bene ominantes dicimus, bonâ horâ, ut in Querulo: *Bonâ horâ hoc exaudiat.*

In venerabili Monaſterio ſancti Sabæ fecit butronem argen. cum

caniſtro ſuo penſantem libras duodecim. Butro eſt cupa ſeu cupella, Gallis *une bouteille.* Anaſtaſ. infr. in Leone IV. *Obtulit in Baſilica beati Petri Apoſtoli butronem de argento puriſſimo, cum gabathis argenteis, pendentibus in catenulis ſeptem.* Et infrà: *Et in Eccleſia beati Petri Principis Apoſtolorum fecit butronem ex argento puriſſimo, qui pendet in Presbyterio ante altare majus.* Inde buticula. Idem in Gregorio IV. *Et buticulas triginta tres.* Cujac. 9. obſervat. 16.

Item & in Monaſterio ſancti Eraſmi fecit veſtem de ſtauraci cum cruce & gammadiis ſimul & paratrapetis ſuis.

Fecit & aliam veſtem de imizino. Imizinum vel mizilum eſt genus ſerici ſubtiliſſimum, de quo infr. hoc loco: *In oratorio verò ipſius Dei Genitricis fecit veſtem albam holoſericam ornatam in circuitu de mizilo.* Anaſtaſ. in Paſchali: *Et de imizilo vela numero quatuor.* Idem in Sergio II. *Obtulit veſtes de imizilo quatuor.* Idem in Leone IV. *Cum velis ex imizino duobus.* Idem in Nicolao I. *Veſtem de fundato unam habentem hiſtoriam leonum, & in circuitu mizinum.* Recentiores vocant hermizinum, noſtri *Almoiſin.* Et hoc eſt quod antiquiores vocant ſericum de Almatia, ſic dictum quòd teneretur apud Almariam Murciæ oppidum. Conrad. in Chronic. Moguntin. *Arnoldus autem primordia ſui conſecrans præſulatus, purpuram optimam de Almaria tollens, ſibi fecit veſtes, tunicam, ſercotium & mantellum, ut in Imperatoris Curia glorioſior appareret.* Roger. Hoveden. in Richardo I. *Deinde per nobilem civitatem, quæ dicitur Almaria, ubi fit nobile ſericum, quod dicitur ſericum de Almaria.* Et infrà: *Et Inſula de Majore reddit ei trecentos pannos ſericos de Almaria per annum de tributo; & Inſula de Evince reddit ei per annum de tributo ducentos pannos de ſerico de Almaria.*

Necnon & feneſtras ipſius Eccleſiæ miræ pulcritudinis ex metallo cypſino decoravit. Lege *cyprino.* Cyprium æs veteribus laudatiſſimum. Anaſtaſ. infr. hoc loco: *Necnon & feneſtras ipſius Eccleſiæ ex metallo cyprino decoravit.* Et rurſus: *Et alias feneſtras Baſilicæ ex metallo cyprino reparavit, & in gremio Baſilicæ fecit.*

Et alias feneſtras de vitro diverſis coloribus decoravit. Feneſtræ Eccleſiarum è vitro verſicolori. Anaſtaſ. infr. cod. *Simul & feneſtras de abſida ex vitro diverſis coloribus concluſit.* Idem in Benedicto III. *Feneſtras verò vitreis coloribus ornavit, & picturâ muſivi decoravit.*

Conſtituit ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ letaniæ celebra-

rentur. Letaniæ ante tres dies Ascensionis Dominicæ à Leone III. Romæ institutæ. Hujusmodi letaniæ à Mamerco Episcopo Viennensi primùm institutæ felici exemplo. Sidon. libr. 5. epist. 14. *Quarum nobis solemnitatem primus Mamercus Pater & Pontifex, reverentissimo exemplo, utilissimo experimento, invenit, instituit, invexit.* Ait, *reverentissimo exemplo*, quia à Romana Ecclesia & universo orbe susceptæ sunt. Can. *Pronuntiandum. de consecr.* dist. 3. Cæsarius Arelatens. Hom. 33. *Tribus diebus quos regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia.*

Fecit crucem anaglypham interfatilem. Lege *crucem anaglypham interrasilem*, ut infrà legitur in Leone III. quæ senior videtur versio: *Necnon & crucem anaglypham interrasilem ex auro pendentem in pergula ante altare.* Aurum interrasile. Plin. libr. 12. cap. 19. *Coronas* IX. *cinnamo, interrasili auro inclusas.* Vulgò *Or bruni.* A Latino interrado, quo usus est idem lib. 15. cap. 1. de oleis: *Tondentur, & cum vites, atque interradi gaudent.* Aurum priùs interrasum pingitur, ut pictura tenaciùs hæreat. Fenestras templi lignis interrasilibus & vermiculatis fabrefactas describit Hieronymus in Ezechiel. cap. 41. *Fenestræ quoque erant factæ in modum retis instar cancellorum, ut non speculari lapide, nec vitro, sed lignis interrasilibus & vermiculatis clauderentur.*

Vestem rubeam alithynam, & in circuitu listam de chrysoclavo. In re vestiaria lista est lymbus, fimbria, ora vestis, ut infrà hoc loco: *Vestem albam holosericam, & in circuitu listam de chrysoclavo.* Et idem in Leone IV. *Fecit vestem de fundato cum orbiculis in circuitu ornatam, cum lista de chrysoclavo.* Leo Ostiens. Chron. Cass. libr. 1. cap. 21. *Vir nobilis Arnipertus obtulit B. Benedicto tunicam cum lista aurea, & circulis aureis, & listam auream margaritis insignitam.* Idem libr. 2. cap. 44. *Planetam diapistim listis aureis ornatam.* Idem libr. 3. cap. 19. *Planeta diacinthina magna aureis listis undique decenter ornata.* Imaginibus etiam apponitur lista ex auro, ut suprà hoc loco: *Et tres ante imagines, cum lista,* ἁλιδν ὃν est purpureum.

Vestem chrysoclaviam habentem historiam transitus sanctæ Dei Genitricis miræ magnitudinis. Mors Sanctorum dicitur transitus, quia est transitus ad meliorem vitam, ut transitus sancti Martini. Gregor. Tur. libr. 1. cap. 43. ubi dixi.

Fecit imaginem ipsius Apostolorum Principis in porta virorum ex auro purissimo. Olim in Ecclesiis locus virorum & mulierum

erat distinctus, imò & utriusque sexus ingressus in Ecclesiam fiebat diversis portis, ut patet ex hoc loco, & ex his quæ sequuntur: *Simulque & columnas tornatiles tam in ingressu corporis dextra lævaque, ex parte virorum, ac mulierum.*

Obtulit polycandelum porphyreticum pendentem in pergula ante Confessionem in catenis aureis. Polycandelum porphyreticum est candelabrum, in quo lucent multæ candelæ, à Græco πολὺς, multus, & Latino candela. Porphyreticum dicitur à colore, quòd esset ex argento deauratum, ut infrà hoc loco: *Cyborium cum columnis porphyreticis ex argento purissimo.* Columnæ ex argento dicuntur porphyreticæ, quia erant deauratæ.

Fecit aquamanus antipempto deauratas paria duo. Aquimanile antipemptum, aquamanus. Anastasio, aquiminarium, vas aquarium, L. *Cùm aurum.* §. *Si quis escarium.* L. *In argent.* §. ultimò, ff. *De aur. & argent. legat.* Vide quæ dixi in Gregorio III.

Super altare sanctæ Dei Genitricis, ubi supra quæ appellatur Mediana. Mediana est pars media Ecclesiæ. Gregor. Tur. de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 48. *Procedens autem psallendo, cùm ad Medianam pervenisset.* Anastas. infr. hoc loco: *In oratorio sanctæ Dei Genitricis in mediana, fecit vestem albam holosericam rosatam.* Idem in Gregorio IV. *In mediana plaga Ecclesiæ.* Et infr. eod. *Super oratorium sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ Mediana dicitur.* Idem in Leone IV. *Obtulit verò in oratorio sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Dominæ nostræ Mariæ, quod in mediana consistit.*

Fecit in Basilica Dei Genitricis ad Præsepe, & in ingressu præsepii, Regias vestias ex argento purissimo. Leo III. fecit Regias, id est, majores fores Basilicæ beatæ Mariæ ad Præsepe, vestitas argento: sic enim legendum pro *vestias*.

Et hoc constituit, ut Dominicorum dies, vel in sanctis solemnitatibus, hinc inde juxta lectorium consisterent, & ad legendum sacras lectiones luminis splendore refulgerent. Lectorium est pluteus, è quo Evangelium legitur, legium. Leo Ostiens. libr. 3. Chronic. Cassinens. cap. 32. Græcis ἀναλογεῖον. Suidas: ἀναλογεῖον ἐν ᾧ τίθενται τὰ βιβλία. Inde analogium. Gregor. Tur. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 94. *In cujus Basilica analogius, in quo libro suprà posito cantatur aut legitur, mirabiliter compositus esse refertur.* Idem de gloria Confess. cap. 37. *Est ibi & sepulcrum ipsius sancti venerandi Episcopi, à quo hæc ædes nomen accepit, sub analogio compositum.* Ekkeard Junior de casib. Monast.

S. Gall. cap. 1. *Infantulis deinde per ordinem lectitantibus, & analogio descendentibus.* Diebus Dominicis vel aliis solemnibus lucernæ, vel cerei accenduntur, cùm Evangelium legitur. Hinc semper juxta lectorium ceroſtata vel lucernæ ponuntur, ut infrà hoc loco: *Fecit verò ubi supra lectorium ex argento purissimo, necnon & ceroſtatos ex argento mundissimo, stantes juxta ipsum lectorium: & hoc constituit, ut Dominicorum die, vel in sanctis solemnitatibus, hinc inde juxta lectorium consisterent, & ad legendum sacras lectiones luminis splendore fulgerent.* Idem in Leone IV. *Similiter & in Monasterio sanctorum Joannis & Pauli fecit aliam lucernam argenteam, quæ Dominicis vel festis diebus juxta lectorium consistentibus ad legendum sacras lectiones magno luminis splendore luceſcat.* Idem in Benedicto III. *Cantharum argenteum sedentem in pedibus quatuor, in quo in diebus festis atque Dominicis lucerna simul & cerei ponebantur juxta lectorium, mirifico opere fecit.* Vulgò lectrinum.

Regnum Spanoclystum ex auro purissimo. Regnum Spanoclystum est corona ex auro Hiſpanico, quod est laudatiſſimum. Aurum vel argentum Spanicum pro Hiſpanico. Anaſtaſ. in Leone IV. *Vela cum argento Spaniſco. Vela de Spaniſco ornata.* Et infrà: *Vela Spaniſca duo.* Idem in Benedicto III. *Spaniſcas quæ pendent super altare.* Et infrà: *Veſtem de Spaniſco ornatam.* Spania pro Hiſpania, ut infrà: *Calicem aureum Spanoclystum, & patenam auream Spanoclystam.* Idem in Paſchali: *Regnum Spanoclystum ex auro fulvo.*

Et in muſileo beatæ Petronillæ, quod ponitur ad beatum Petrum Apoſtolum, fecit coronam ex argento. Pro *muſileo*, lege *mauſoleo.* Corpus S. Petronillæ à Paulo Papa tranſlatum, in cujus marmoreo ſarcophago inſcriptum legebatur: *Aureæ Petronillæ dilectiſſimæ filiæ.* Sigebert. in Chronic. ad annum 758. Idem error emendandus infrà eod. *Sed in muſileo beatæ Petronillæ, quod ponitur ad beatum Petrum Apoſtolum, fecit vela alba majora tria.*

Sed & in Monaſterio ſancti Stephani quod appellatur Catagalla patritia, pari modo fecit caniſtrum ex argento. Hoc Monaſterium à Leone III à fundamentis reſtitutum narrat. Anaſtaſ. infr. eod.

Necnon & in oratorio ſancti Viti, quod ponitur in Monaſterio quod appellatur de Sardis, fecit caniſtrum ex argento. Monaſterium de Sardis dictum, quòd poſitum fuit in vico Sardorum. Anaſtaſ. in Leone IV. *Fecit in Baſilica ſanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur in vico, qui nuncupatur Sardorum, veſtem de fundato.* Et

infrà eod. *Pari modo & in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ quæ sita est in vico Sardorum.*

Et in oratorio sancti Cesarii quod ponitur in Monasterio de Corsas, fecit similiter caniſtrum. Monasterium de Corsas sic dictum, quia positum fuit in vico Corsarum. Romæ fuit vicus Corsarum. Anastas. in Leone IV. *Monasterium Corsarum, quod juxta Basilicam beati Sixti Martyris atque Pontificis situm est, &c.* Sardis & Corsis insulis pulsis à Sarracenis locus ad habitandum in Urbe concessus à Pontifice.

Et in oratorio sanctæ Mariæ, quod ponitur in Monasterio Aquæ Salviæ, fecit similiter. Monasterium Aquæ Salviæ est Monasterium S. Anastasii Martyris, quod vocatur Ad Aquas Salvias. Anastas. in Benedicto III. *Obtulit etiam in Monasterio sancti Christi Martyris Anastasii, quod vocatur Ad Aquas Salvias.*

Fecit ubi suprà scuta argentea duo scripta utroque Symbolo: unum quidem litteris Græcis, & alium Latinis. Scutum hîc est tabula argentea oblonga in formam scuti, in qua scriptum erat Symbolum. Ut infrà eodem: *Fecit & suprà in ingressu corporis scutum ex argento purissimo, in quo orthodoxæ fidei Symbolum scribi fecit.* Idem infrà in Nicolào I. *Calicem de auro ex lapidibus circumdatum cum scutis & diversis lapidibus pretiosis hyacinthinis albis.* Cujus diminutivum est scutulum, quod est signum in modum scuti. Jo. Cassian. collat. 1. cap. 5. *Quemadmodum hi quibus usus est bellica tela tractandi, cùm ante Regem mundi hujus artis suæ cupiunt peritiam demonstrare, in parvissima quadam scutula, quæ depicta in se continet præmia, jacula, vel sagittas intorquere contendunt.* Scutulæ sunt vestes scutulatæ, id est, scutulis distinctæ. Prudent. in Hamartigon.

Gaudeat & durum scutulis perfundere corpus.

Et hoc est genus vestium quod Plin. libr. 8. cap. 48. vocat scutulatum textum. Et hoc fuisse inventum Galliæ refert Plin. ibidem: *Scutulis dividere Gallia instituit.*

Hic autem præclarus Antistes Hospitalem beato Petro Apostolo, in loco qui Naumachia dicitur, à fundamentis noviter construxit. Naumachiæ fuere Romæ, in quibus edebantur navalium pugnarum spectacula, deductâ aquâ è Tyberi. Sidon. libr. 1. epist. 5. *Inter hæc patuit & Roma conspectui, cujus mihi non solùm formas, verùm etiam Naumachias videbar epotaturus.* Hospitale à Leone III. constructum ad Naumachiam, cujus meminit idem suprà hoc loco: *In oratorio sancti Peregrini, quod ponitur in*

Hospitali Dominico ad Naumachiam, fecit canistra ex argento. Idem in Paschali: *Hospitale sancti Peregrini positum ad beatum Petrum Apostolum in loco qui vocatur Naumachia, quod idem prædecessor suus construxerat, &c.*

Necnon & rotas de chrysoclavo ornatas in circuitu de quadrapulo. Rotæ sunt circuli aurei, qui ornatûs causâ appendebantur in sacris ædibus. Hujusmodi rotæ fiebant ex auro, vel argento, vel serico, ut infrà hoc loco: *Et rotas sericas habentes historias Annunciationis, seu Natalis Domini nostri Iesu Christi.*

Episcopium verò Albanense simul cum Ecclesia quæ in nomine beati Pancratii fundata est. Episcopi Cardinales habent titulum Cardinalem, id est, Ecclesiam in titulum Cardinalem, & juxta Episcopium, id est, domum Episcopalem: ut Episcopus Albanensis, qui est unus è septem Cardinalibus Episcopis, habuit in titulum Ecclesiam sancti Pancratii; Episcopus Silvæ Candidæ habuit suum Episcopium juxta Basilicam SS. Rufinæ & Secundæ, quæ erat titulus. Anastas. in Adriano: *Basilicam SS. Rufinæ & Secundæ, quæ ponitur in Episcopio Silvæ Candidæ.* Ecclesiæ S. Pancratii meminit Gregor. libr. 3. epist. 13.

IN STEPHANO V.

LUDOVICUS Imperator pro illius amore in finibus Franciæ curtem de suo proprio fisco beato Petro Apostolo perpetuali usu, per præceptionis paginam concessit. Curtis est villa seu prædium. Frodoard. in Chronic. ad annum 937. *Quidam Presbyter de Bononis curte, sic enim villa vocatur.* Adamus Bremensis libr. 4. cap. 5. *Quinquaginta ergo curtes dominicales habuit Archiepiscopus.* Curtis est diminutivum curiæ, quæ idem significat, ut in Cap. *Cum Bertholdus. de rejudicat. Curiam suam sive fundum Nutnestanen.* Eodem significatu curtis voce pro prædio usus est Anastas. in Gregorio IV. in fin. *In curte quæ cognominatur Draconis, domum satis dignam undique porticibus ab solariis circumdatam à solo noviter fieri statuit. Fecit autem & in curte alia, qua Galeria vocitatur, domum aliam largam ac spatiosam, satisque præcipuam, ad opus atque utilitatem Pontificum, ubi obediens opportunum fuerit.* Curti nomen fuit Galeria, fortè à Galeria tribu, cujus meminit Onufrius Panvinius in Civit. Rom.

IN PASCHALI.

IN ejusdem venerabili Basilica, ante aditum, quæ ducit ad corpus, in loco Ferrata altare constituit. Corpus Ecclesiæ est chorus Ecclesiæ, ubi Clerici stant inter sacra. Anastas. in Leone III. *Simulque & columnas volatiles tam in ingressu corporis dextra lævaque, ex parte virorum, ac mulierum.*

Pariterque & concham ad spongiam pro nocturnis diligentiis ibidem ex argento constituit, pensantem libras septem & uncias novem. In Basilica S. Petri constituta fuit concha argentea ad spongiam, id est, ad exprimendam spongiam, cujus usus erat ad hauriendam urinam, cùm necesse esset de nocte surgentibus ad sacrum Officium. Veteres spongiis utebantur ad obscœna tergenda: Senec. epist. 70. *Nuper in ludo bestiariorum unus è Germanis, cùm ad matutina spectarent, secessit ad exonerandum corpus: nullum aliud illi dabatur sine custode secretum; ibi lignum id quod ad emundanda obscœna adhærente spongia positum est, totum in gulam farsit, & vi præclusis faucibus spiritum elisit.* Earumdem usus fuit ad urinam excipiendam, & vesicam exonerandam. Martial. libr. 12. epigram. 48.

Quod sciat infœlix damnata spongia virgæ.

Spongiarum etiam multus usus fuit ad detergenda & fovenda vulnera & ulcera. Plin. libr. 31. cap. 11. *Usus earum ad abstergenda, fovenda, operienda vulnera.* Jo. Chrysostom. homilia 27. ad Antiochen. διὰ τοῦτο οἱ σοφοὶ τῶν ἰατρῶν, μαλακήν τινι ἀπογγίᾳ τὰ τετρωμένα καταμήσσειν ἔλκη. *Proinde periti Medici spongia quadam præmolli & humefactata ulcera leniter tractant.* Eorumdem usus fuit ad exhauriendam aquam. Idem in 1. ad Timoth. Homil. 14. καὶ δίσκους καὶ ἀμφορέας καὶ ἀπογγίας καὶ ἕτερα πολλὰ ἐπινοήσας, ὡς τὸ ἀπαντλῆσαι. *Et discos atque amphoras & spongias & alia plurima ad exhauriendam aquam excogitata.* Spongiis usi etiam retiarii ad sistendum sanguinem vulnerum. Tertull. de spect. cap. 25. *Poterit & misericordia moveri defixus in morsus ursorum, & spongias retiariorum.* Spongiis madefactis foventur vulnera. Apuleius 1. de Asino aureo: *Vulnus spongia effulciens.* Idem libr. 8. *Ille spongiis maditatis tumores comprimere.* Spongiarum etiam usus fuit ad extergenda pavimenta, unde spongiæ censentur in instrumento domus, L. *Quæsitum.* §. *Item pertica.* ff. *De instruct. instrum. legat.* Quod jam observatum est alio loco. Anastas. in

Gregorio

Gregorio II. Ait, *pro nocturnis diligentiis*, id est, pro nocturnis necessitatibus, quæ sæpius diligentiam desiderant. Veteres res obscœnas honesta appellatione velabant, ut fures diligentes vocabant. Hieronym. 1. adversus Rufinum: *Solemus & argutissimos fures diligentes vocare.* Aleatores volebant se dici tesserarios. Ammian. libr. 28. *Quidam aleatorum vocabulum declinantes, ideoque se cupientes appellari tesserarios.* Veteres non nominabant lotium sine præfatione & verecundia. Plin. libr. 7. cap. 51. inter signa mortis recenset *neglectum effluvium præfandi humoris*, id est, urinæ. Diligentiæ opponitur indiligentia. Plin. libr. 9. cap. 36. *Fraudatam profectò se luxuria credat, nosque indiligentiæ damnet.* Idem libr. 10. cap. 23. *Grues excubias habent pro nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno & decidens indiligentiam coarguat.*

Propitiatorium etiam altaris ex laminis argenteis exornatum circumduxit. Propitiatorium altaris est pars media altaris, ubi sacrificium propitiationis, id est, pacis, offertur. Papias: *Propitiatorium dictum, quasi propitiatoris, oratorium.* Et ipse Anastas. infr. hoc loco: *Et propitiatorium sacri altaris ex argenteis laminis mirificè exornavit.*

Per quorumdam gentis Anglorum desidiam ita est omnis illorum habitatio, quæ in eorum linguâ burgus dicitur, flamma ignis exundante combusta. Burgus est castrum, munimentum: inde Burgundiones dicti à burgis, in quibus habitabant; quæ erant castra per limitem disposita. Oros. libr. 7. cap. 32. Isid. lib. 9. cap. 2. Luitprand. libr. 3. cap. 12. Paul. Diacon. Hist. libr. 12. Veget. de re militar. libr. 4. cap. 10. *Castellum parvulum quem Burgum vocant.*

In qua & sanctam Græcorum Congregationem aggregans. Paschalis Cœnobium nomine sanctæ Praxedis posuit Græcis Monachis, qui die noctuque Græcè Deo psallerent. Monasterium SS. Stephani & Cassiani pariter condidit Leo IV. in quo instituit Monachos Græcos. Anastas. in ipso Leone IV.

Vestem de blattin cum pselliis. Vestis de blattin est vestis blattea, id est, purpurea. Gregor. Tur. libr. 2. cap. 38. *Et in Basilica B. Martini tunicâ blatheâ indutus.* Nomen à blatta, quod est conchylium, quo conficitur purpura. Cassiodor. 1. Variar. *Cum blatta quam nostro cubiculo dare annù singulù consuevisti, venire festina.* ψιλλια Græci, armillas, brachialia. Cujac. 10. obs. 17.

In Ecclesia beatæ Ceciliæ Martyris fecit concham ex argento, ubi

& pretiosum ejusdem Virginis caput condidit. Concha est vas cavum à similitudine concharum maris, ut suprà hoc loco: *Concham ac spongiam pro nocturnis diligentiis ex argento constituit.* Idem in Hilaro: *Lacus & conchas triantas duas aquam fundentes.* Et infrà: *Lacum porphyreticum cum concha assita in medio aquam fundentem.* Alibi concha est vas marmoreum in vestibulo Ecclesiæ, in quo pueri exposititii deponi solebant, ut à matriculariis Ecclesiæ colligerentur. Wandelbert. Diacon. in Vit. S. Goar. apud Surium 8. Julii: *Moris quippe tunc Trevirorum erat, ut cùm casa quælibet femina infantem peperisset, cujus nollet sciri parentes, aut certè quem præ inopia rei familiaris nequaquam nutrire sufficeret, ortum parvulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipsum statuta erat, exponeret.*

IN EUGENIO.

QUID aliud pertinentes, nisi quod ipse suis honestis gerebat moribus, & ipsi pariter gerebant. Pertinentes sunt cognati & propinqui, qui ad nos pertinent, id est, pertinent ad affectum nostrum, ut pertinentiæ sunt res quæ ad nos pertinent, tanquam accessiones rei majoris, cap. *Cùm ad sedem. de restit. Spoliat. Cum possessionibus & pertinentiis.* Impertinentes sunt alieni. Martianus Capella libr. 1. *Post hos quamplures alii, pro suis gradibus coclites, ac Deorum omnium populus, absque impertinentibus convocandi.* Pertinentia sunt, quæ proximè pertinent & juvant ad rem. Plin. libr. 29. cap. 7. *Quonam modo exoleverint in Medicinæ usu, quæ tum parata, atque pertinentia erant.*

IN GREGORIO IV.

OBTULIT vestem de fundato unam habentem mucrones per circuitum. In re vestiaria mucrones sunt acumina fimbriæ vestis, ut infrà hoc loco: *Cortinam Alexandrinam unam, vela alia habentia mucrones de fundato quatuor.* Aliàs mucro est acumen teli vel gladii. Papias: *Mucro non tantùm gladius est, sed cujuslibet teli acumen.* Hieronym. ad Heliodor. *Nunc verò inobediens spiritali mucrone truncatur,* Mucrones unguium leonis, acumina unguium interpretatur ipse Solin. Polyhist. cap. 30. *Gradientes mucrones unguium vaginis corporum claudunt, ne acumina attritu retundantur.* Et ante eum Plinius libr. 8. cap. 15. *Mirum par-*

dos, pantheras, leones & similia, condito in corporis vagina unguium mucrone, ne refringatur, hebeteturve, ingredi. Mucrones cornuum, Plin. libr. 11. cap. 37. *Omnia in mucronem migrantia.*

Vela de rodino quatuor, quæ sacrum altare circumdant. Vela rodina sunt, vela rosei coloris. Anastas. in Benedict. III. *Vestem rubeam de rhodina.* Idem in Zacharia: *Vela alithina, quæ & ornavit cum rhodicis.* Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. libr. 1. cap. 58. *Planetam diarodinam Byzantiorum* XX. *Pallium altaris diarodinum Byzant.* XVI. Idem libr. 3. cap. 19. *Pluviale diarodinum magnum, undique auro contextum. Pannum diarodinum cum aureis listis.*

Gemmas albas trecentas & octuaginta. Gemmæ albæ sunt margaritæ, ut infrà eod. *Gemmas diversas albas numero septuaginta tres.* Et infrà: *Albas majores numero viginti & novem.* Et rursus: *Albas modicas habens circum capitis coronam diversè philopares.* Lege *filopares.* Sic interpretatur Anastas. in Leone IV. *Cum gemmis albis, id est, margaritis septem.* Lamprid. in Heliogabal. *Orizam cum albis exlubens: Albas præterea in vicem piperis piscibus & tuberibus conspersit.*

Fecit vestem auro textilem habentem in circuitu alvaviras legente de nomine Domni Gregorii quarti Papæ. Lege *albas virias.* Viriæ sunt armillæ manuum. Isidor. Origin. libr. 19. cap. 31. *Armillæ propriè virorum sunt collatæ victoriæ causâ militibus, ob armorum virtutem, unde & quondam vulgò viriliæ dicebantur.* Inde viriæ Celticæ Plin. libr. 33. cap. 3. *Viriæ Celticæ dicuntur, viriles Celtibericæ.* Tertull. de Pallio: *Vestigia castuum viria occupavit.* Ambrosius 1. de Abraham: *Inaures habebat quæ non gravarent aurem, sed demulcerent: virias quæ manum non materiali auro onerarent, sed spiritali actu levarent.* Viriæ diminutivum viriola. Inter ornamenta censentur viriolæ, quæ erant brachialia ex auro, vel smaragdis, aut aliis gemmis, L. *Quod tamen.* ff. *De contrah. empt.* L. ult. §. ult. *De auro & arg. legat.* L. 8. *De opt. legat.* Inde emendandus locus Anastas. in Benedict. III. *Retè factum miro opere totum ex gemmis alvaberis.* Lege *albis viriis*, id est, ex gemmis dispositis in modum albarum viriarum, id est, armillarum. Ait: *Legente de nomine Domni Gregorii IV.* quia donariis inscribebatur nomen donantis, ut infr. eod. *Legente de donis Dei & sanctæ Mariæ quod vocatur Præsepe trans Tyberim, Domni Gregorii Papæ quarti.* Ut infrà eod. *Canistra argentea quatuor, legente sancta Dei Genitrice Gregorii IV. Papa.*

Item fecit & in Diaconia beati Hadriani Martyris in tribus fatis veſtem de fundato. Diaconia S. Adriani Martyris fuit in vico de tribus fatis. Ibidem fuit Baſilica ſanctorum Coſmæ & Damiani. Anaſtaſ. in Adriano: *Pariter & Baſilicam ſanctorum Coſmæ & Damiani ſitam in tribus fatis reſtauravit.* Fortè legendum *in tribus ſatis.*

In quo etiam Monachos Canonicos aggregavit, qui inibi officium facerent. Gregorius IV. reſtituit Baſilicam S. Mariæ, quæ dicta eſt Caliſti trans Tyberim, & ibi conſtituit Monachos Canonicos, id eſt, Canonicos regulares, & in eadem fecit ſanctum Præſepe, id eſt, oratorium Præſepis illius inſtar, quod eſt in Baſilica ſanctæ Mariæ Majoris, quæ inde ad Præſepe dicta eſt; de quo ſuprà in Eugenio.

Albas modicas habens circum capitis coronam, diverſè philopares. Lege *filopares, id eſt, lineam margaritarum quæ filo pariter pendebant.* Ut infrà eodem: *Gabathas aureas puriſſimas interraſiles philopares.* Lege *filopares,*

Cercelli paria duo habet gemmas pretioſiſſimas. Lege *circelli*, quod eſt diminutivum circuli. Circelli aurei vel argentei offerri ſolebant ornati variis gemmis. Gloſſ. G. B. ψέλλια, περιψέλλια, δακτυλίδια. Circuli aurei ſunt inter ornamenta mulierum. Hieronym. 4. in Ezechiel. cap. 16. *Et uſque hodie inter cætera ornamenta mulierum ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere.*

Murenas praſinales pretioſiſſimas duas. Murenæ ſunt torques aurei, ſeu monilia ex auro gemmis ornata, in longum ducta ad ſimilitudinem murenarum, quod eſt genus piſcis, ut infrà eod. *Item murenam trifilem auream.* Et rurſus: *Murenam in qua pendent gemmæ hyacinthinæ tredecim.* Hieronym. ad Marcellam de laudibus Aſellæ: *Aurum colli ſui, quod quidem murenulam vulgus vocat.* Murenæ erant textæ auri & argenti virgulis. Hieronym. in Eſaiam cap. 3. *Et murenulas quæ auri & argenti texuntur virgulis.* Murenulas praſinales dixit Auctor noſter, quia erant ornatæ gemmis praſinis. Hic enim gemmas ſolet ſæpius notatione coloris, quàm nominis deſignare, & paſſim facit ſimul mentionem gemmarum praſinarum, hyacinthinarum & albarum.

Item murenam trifilem auream, quæ habet gemmas diverſas albas numero ſeptuaginta, & buticulas triginta tres. Murenam trifilem vocat, quæ erat contexta tribus filis, id eſt, lineis margaritarum. Murenam filatam vocat infrà: *Item murenam filatam, ex qua gemmæ pendent quatuordecim.* Et quæ infrà habebat plures buti-

culas, id est, orbiculos vel bullas aureas, *des bouillons d'or.* Anastas. in Sergio II. *Gabathas interrasiles deauratis cum bullis duabus.* Idem in Leone IV. *Vela habentia cruces, & gammadias de chrysoclavo, & gemmis de bullis aureis* 23. Et infrà: *Fecit coronas ex argento purissimo duas pendentes in catenulis aureis cum gemmis & bullis deauratis.* Et infrà: *Cruces & gammadias de chrysoclavo cum orbiculis.* Hieronym. in Esaiam cap. 3. in illa verba, *& lunulas & torques: Habent mulieres in lunæ similitudinem bullulas dependentes, quas nos ad Ecclesiæ ornamenta transferimus.*

Digitiæ aureæ novem pendent in filo aureo. Digitiæ hîc sunt murenæ aureæ seu annuli, in modum murenularum, quæ digitiæ dicuntur, quia digitis inseri solent, instar annulorum. Gregor. Tur. de glor. Confess. cap. 35. *Aiebant etiam annulos murenulasque aureas circa eam repertas.*

Signum Christi habet navicellas duas, & murenas tres. Id est, signum crucis, Crucifixus ex auro habet pendentes navicellas, id est, naviculas ex auro. Leo Ostiens. Chr. Cass. libr. 3. cap. 57. *Quinque pallia, & naviculam auream.* Et murenas, id est, torques ex auro & gemmis pendentes ornatus causâ.

Omnes morenas cum petinante eorum. Lege *omnes murenas cum pertinente eorum*, id est, cum pertinentiis suis. Pertinentia murenarum erant gemmæ, & buticulæ, id est, buticulæ seu pilulæ, orbiculi aurei, qui pendebant ex eis, ut suprà observatum est. Vel, si mavis, lege *cum pectinante*, id est, pectinato opere. Pectinatum opus. Festus.

Signum Christi habet historiam in modum leonis incapillatam, cum diversis operibus purissimis aureis pendentibus in catenulis quatuor & uncino uno. Signum Christi est signum crucis, quod dicitur habere historiam incapillatam, quia tegi solebat velo cilicino, quod dicitur capillatium, quia contextum est capillis, id est, pilis hircorum: sic tabernaculum opertum erat capillatio, Exod. 26. *Et facies vela capillacia operire super tabernaculum.* Quem in locum Augustin. Quæst. in Exod. cap. 108. *Quæ capillatia, inquit, vela sunt, id est, cilicina.* Idem de Civit. Dei libr. 22. cap. 8. *A quodam Judæo dicit sibi fuisse persuasum, ut annulum capillatio vinculo inseret, quo sub omni veste ad nuda corpori cingeretur.* Et mox: *Surgens ut iter perageret, aute pedes suos illum jacentem annulum vidit, & capillatiam zonam qua fuerat alligatus, mirata tentavit.* Statuæ & signa Deorum velis operiri solebant, quæ obducebantur & reducebantur. Apuleius de Asino aureo lib.

11. *Sic ad instar solis exornato, & in vicem simulacri constituto, repente velis reductis, in aspectum populi errabam.* Vela cilicia etiam præfigebantur ædificiis, putà foribus, vel fenestris, ne vento aut pluvia laborarent. L. *Fundi.* §. *Reticuli.* ff. *De act. empt.* L. *Quæsitum.* §. *Vela. de instr. instrum. legat.* Vela cilicia etiam texta in castrorum & nautarum usum. Virgil. 3. Georgic.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, setasque comantes
Usum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Et ibi Servius: *Quia de ciliciis poliuntur loricæ, & teguntur tabulata turrium, ne jactis facibus ignis possit adhærere.* Signum Christi memoratur habens historiam in modum leonum incapillatam, quia opertum erat velo cilicino intexto figuris textilibus leonum. Ait, *uncino uno.* Uncinum est diminutivum unci, ex quo pendebant orbiculi seu bullæ aureæ, quæ ornatûs causâ apponebantur murenis. Anastas. in Leone IV. *Coronam obtulit cum catenulis quatuor & delphinis decem, habentem lilium & uncinum pensantem libras duas.*

Nam priùs altare in humili loco situm fuerat, penè in media testudine. Testudo est camera fornicata. Apud veteres omnia templa erant facta in modum testudinis. Virgil. 1. Æneidos: *In foribus Divæ media testudine templi.* Et ibi Servius: *Quidam tradunt apud veteres omnia templa in modum testudinis facta.* Similis ferè erat forma sacrarum ædium. Media pars ædii assurgebat in testudinem, sub qua altare collocari solebat.

Gemmiliones octo pens. singuli libras duas. Gemelliones, ut legunt Lacerda & Vossius, sunt unci pares formâ, quasi gemelli fratres.

Necnon & in fronte paradysi jam fatæ Ecclesiæ. Paradysus est atrium Ecclesiæ, de quo suprà in Dono.

Et alia nova adjecit, in quibus tres caminatas fieri jussit. Gregorius IV. Paracellario B. Petri adjecit tres caminatas. Caminata est camera habens caminum. Sangallens. de gest. Carol. M. libr. 1. cap. 5. *Finitis autem laudibus matutinis, cum Rex ad Palatium vel caminatam dormitoriam, calefaciendi & ornandi se gratiâ, pro tantæ festivitatis honore rediret.* Helmold. Hist. Slav. libr. 1. cap. 14. *In loco qui dicitur Neronna, ubi etiam fuit oratorium & caminata muratore opere facta.* Et Anastas. ipse in Nicolao I. *Fecit triclinium cum caminatis ad honorem & decorem ejus.*

Siclonem unum pensantem libras tres. Siclonem perperam pro *scyphonem.* Scyphus vel scypho est genus vasis vinarii. Scyphus

est vas ansatum, è quo vinum funditur in pocula, L. *Sed si meis. §. Proculus. de adquir. rer. dom.* Anastas. in Leone III. *Item calicem majorem fundatum cum scyphone pens. libras triginta & septem.* Veget. de re veterinar. libr. 1. cap. 10. *Ad scyphonem paulatim infundes, non semel à cornu.* Idem libr. 2. cap. 20. *Paululum aquæ frigidæ cum foliis hederæ diutissimè contundes, succum exprimes, & per siphonem ei in oculum defundes.* Hispanis guillones vascula vinaria. Paul. Diacon. de Vit. Patrum Emeritens. cap. 2. *Vascula vinaria, quæ usitato nomine guillones, aut flasconès appellant.*

Portis simul ac seris, & catharactis eam undique permunivit. Cataracta est crates ferrea, portæ urbis vel castri munimentum, *une herse.* Livius libr. 27. cap. 30. *Porta cataracta dejecta clausa erat, eam partim vectibus levant, partim funibus subducunt.* Aliàs cataracta est suffusio oculorum. Gregor. Tur. de Mirac. D. Martini libr. 2. cap. 15. *Lucescente autem die reseratis cataractis luminum lumen videre promeruit.* Idem de Vit. Patr. cap. 19. *Statimque reseratis cataractis mundum latè patentem, quæ fuerat cæca, prospexit.*

Petrarias nobili arte composuit. Petraria est machina bellica graviores lapides mittens ad quatiendos muros. Paulus Diaconus de gest. Longobard. libr. 5. cap. 8. *Cumque hoc dixisset, caput ejus abscissum est, atque cum belli machina quam petrariam vocant, in urbem projectum est.* Ademarus Monachus S. Eparchii Engolismensis in Vita Caroli M. *Deoque volente petrarias quas paraverunt, in suo plus damno senserunt, quàm illi de castello.* Turpin. in Vit. ejusd. cap. 9. *Aptatis juxta murum petrariis & manganellis & Trotis & arietibus.* Matth. Paris ad annum 1215. *Petrariam, quæ* Malveisine *Gallicè nuncupatur*, id est, malus vicinus.

Fecit velum Alexandrinum habens phasianos duodecim. In deliciis hac ætate erant vestes belluatæ, id est, variis figuris animalium intextæ. Ammian. libr. 14. *Longiores fimbriæ tunicæ, perspicua lucent varietate liciorum, effigiatæ in species animalium multiformes.* Anastas. ipse suprà eod. *Vela Alexandrina tria, ante portas majores pendentia, habentia homines & caballos.* Alexandrina tapetia variis belluarum, avium, hominum figuris intexta erant. Plaut. in Pseudolo: *Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.* Hoc genus vestium polymitas appellant, vel Alexandrinas, quia fuit inventum Alexandriæ. Plin. libr. 8. cap. 48. *Plurimis verò liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria instituit.*

Vbi obediens opportunum fuerit. Fecit domum in curte, cui no-

men erat Galvia, ut ibi cum suis hospitaretur, ubi obediens, lege *obdiens*, vel *obdiescens*, id est, diem habens, opportunum fuerit. Sic *dietim* pro *in dies* dixit idem in Adrian. II. *Sed dietim fervore sancti Spiritus temperati, ad unitatem sacræ Synodi reversi sunt.*

IN SERGIO II.

TUNC Præsul eum Scholæ Cantorum ad erudiendum communibus tradidit litteris. Schola Cantorum est Ordo Cantorum, vel locus ubi Cantores instituebantur, ut infrà hoc loco: *Ut omnes ipsius præcelleret Scholæ puerulos.* Anastas. infrà in Leone IV. *Hic pius Antistes in Basilica beati Pauli Apostoli vespertinas publicè à cuncto Clero & Schola constituit die natali ejus psalli laudes.* Et idem antè in eodem: *Scholam Cantorum quæ pridem orphanotrophium vocabatur, à fundamentis restauravit.* Scholam Cantorum Romæ instituit Gregorius I. & eis ædes disposuit in Basilica S. Petri, & Lateranensi Patriarchio. Jo. Diaconus libr. 2. cap. 6. *Scholam quoque Cantorum, quæ hactenus eisdem institutionibus in sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit, eique cum nonnullis prædiis duo habitacula, scilicet sub gradibus Basilicæ beati Petri Apostoli, alterum verò sub Lateranensis Patriarchii domibus fabricavit, &c.* Hinc Magister Scholæ est Præfectus Scholæ seu Ordinis Cantorum. Ademar. in Vit. Caroli M. *Domnus verò Rex revertens in Franciam misit unum Cantorem in Mettis civitate, alterum in Suessionis civitate, præcipiens de omnibus civitatibus Franciæ Magistros Scholæ Antiphonarias eis ad corrigendum tradere, & ab eis discere cantare.* Eadem analogiâ Scholæ palatinæ dicuntur Ordines militantium in Palatio, L. 22. C. Th. *De erogat. milit. annon.* L. 8. C. eod. *De annon. civilib. & pane gradili.* Ambros. 1. ad Timoth. cap. 12. *Scholæ enim sunt, quæ positis in se dant dignitatem, ut loci honor hominem faciat glorioſum, non propria laus.* Coripp. de laud. Just. libr. 3.

Acciti Proceres omnes, Scholaque palati est.

Anastas. ipse infrà hoc loco: *Universas militiæ Scholas unà cum Patronis direxit.* Et infrà: *Tunc suo universo cum populo omnibus Romanis Judicibus & Scholis antecedentibus, ad beatum Petrum studuit properare.* Idem infrà in Adriano II. *Obviati omnibus Scholis, videlicet Spathariorum, Cnadidatorum, Strategorum, Mandatorum, cæterorumque palatinorum Ordinum.*

Dixit quòd nullo maligno animo, aut aliqua pravitate, vel malo

ingenio

ingenio adveniſſet. Malum ingenium, vel ingenium ſimpliciter, pro malo animo & conſilio. Anaſtaſ. in Leone IV. *Videntes itaque quia in Anaſtaſium Chriſti unitas, almaque concordia nullo flectebatur ingenio.* Idem in Nicolao I. *Nihilominus præcipimus tibi, ut nunquam res cujuſcumque perſonæ qualicumque ingenio vel carthulâ acquiſitas, & poſſeſſas olim, modò occupes.* Aliàs ingenia ſunt machinæ bellicæ, quibus muri urbium & caſtrorum quatiuntur. Jo. Bromton. in Ricardo I. ad ann. 1189. *Ingenia verò & pararia Chriſtianorum ita retro fuſſata erant, quod nullus ex parte adverſa poterat eis nocere.*

Poſt hæc verò Ebbo quidam, & Bartholomeus Archiepiſcopi, qui pro criminibus ſuis privati honore, ab Eccleſia fuerant expulſi, à ſanctiſſimo Summo Pontifice poſtulabant, ut eos reconciliare, ac Pallium eis tribuere dignaretur. Ebbo Rhemenſis Epiſcopus depoſitus ob conjurationem in Ludovicum P. Imp. Flodoard. Hiſt. Rhemenſ. libr. 2. cap. 20. Baldric. Nov. libr. 1. cap. 41. Ebbo depoſitus redactus ad communionem laicam, poſtulabat à Pontifice ſe reſtitui communioni Eccleſiaſticæ; ſed non eſt auditus. Et hoc eſt quod ſequitur: *Quos etiam idem Præſul nec communionem inter Clerum dignos eſſe ſuſcipere dicebat, ſed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberent.* Sic Guntherus Archiepiſcopus Colonienſis, & Thietgaudus Archiepiſcopus Trevirenſis, à Nicolao I. depoſiti & excommunicati, quòd Thietbergam Lotharii uxorem illegitimam pronunciaſſent, in Italia exulantes mortui laica communione ſibi tantùm conceſſa. Regin. 1. Chronic. Sigebert. ad ann. 883. Can. *Scelus.* 2. qu. 1. Nicolaus I. epiſt. 58.

IN LEONE IV.

HIC primùm à parentibus ob ſtudia litterarum in Monaſterium beati Martini Confeſſoris Chriſti, quouſque ſacras Litteras plenius diſceret, ſponte conceſſit. Hac ætate Scholæ erant in Monaſteriis, in quibus nobiles pueri inſtituebantur. De quo ſatis dixi in Aſceticis.

Peregrinos ac pauperes, minuſque habentes. Minus habentes; ſunt tenuiores facultatibus. Daniel. 5. *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.* Habere eſt opum copiam habere. Solin. Polyhiſt. cap. 34. *Troglodytæ ſpecus excavant, illis teguntur, nullus ibi habendi amor. A divitiis paupertate ſe abdicarunt volun-*

taria. In jure habere dicitur, qui rem obtinet jure dominii, L. *Habere licere.* ff. *De evict.* L. *Stipulatio ista.* §. *Hi qui sunt. de V. O.* L. *Nomen filiarum.* §. ult. *de V. S.* Pomp. Mela de sit. orbis libr. 1. cap. 4. *Et Satyri sine tectis passim & sedibus vagi habent potiùs terras, quàm habitent.* Senec. de Benefic. libr. 7. cap. 10. *Cautiones vacua habendi simulacra.* Inde vulgare *avoir.* Eo pertinet quod dicitur in L. 4. §. *Inopes. de muner. & honor.* inopes onera patrimonii ipsa non habendi necessitate non sustinere.

Ipse solertissimus Pontifex secundùm antiquam consuetudinem, canonica auctoritate decrevit, atque constituit, ut dum sacra Missarum solemnia in Ecclesia celebrantur, nullus ex laïcis in Presbyterio stare, vel sedere aut ingredi præsumat, nisi tantùm sacra plebs, quæ in administratione sacri officii constituta videtur. Idem refert Sigebert. in Chronic. ad ann. 847. in hoc deceptus, quòd id tribuit Leoni V. Idem refertur ex Concilio Moguntino in cap. 1. *de vit. & honest. Cleric.* Hoc decreto ne laïci stent intra Presbyterium, jus novum non est statutum à Leone IV. sed antiquum comprobatum. Antiquissimus enim mos Ecclesiæ fuit, ut laïci starent extra cancellos altaris. Augustin. de Civit. Dei libr. 22. cap. 8. *Venit & Pascha atque ipso die Dominico mane, cùm jam frequens populus præsens esset, & loci sancti cancellos, ubi Martyrium erat, idem juvenis orans teneret.* Et notatur sequior usus Donatistarum, quòd laïci cum Clericis promiscuè starent intra cancellos. Idem epist. 168. *Minatur & transit ad partem Donati, rebaptizatur furens, & in maternum sanguinem fremens albis vestibus candidatur. Constituitur intra cancellos eminens atque conspicuus.* Communicaturi laïci tantùm admittebantur intra cancellos. Idem Homil. 49. *Ego scio quia sapientes amant me: in hoc à communione se cohibent, qui sciunt quia novi peccata ipsorum, ne de cancellis proficiantur.* Et hoc est quod in Capit. Moguntino modò laudato integrum servatur, ut laïcis ad communicandum, sicut mos est, pateant sancta sanctorum. Uni Imperatori licuit sanctuarium ingredi, cùm dona oblaturus esset, Synodi VI. in Trull. can. 69. Vertigine correptum Valentem Imperatorem, dum in die Epiphaniæ dona oblaturus ex more intra velum altaris stetisset, εἴσω τῦ παραπετάσματος, tradit Gregor. Nanzianz. orat. 20.

Fecit coronas ex argento purissimo, habentes unà clamacterios argenteos subter pendentes triginta & septem. Clamacterii sunt tintinnabula, seu crepitacula, quæ pendebant è coronis ornatûs causâ.

Anastas. in Sergio II. *Regnum de argento cum tintinnabulis.*

Sancta præcedente icona, ad Basilicam sancti Hadriani Martyris, sicut mos est, propriis pedibus, cum omni Clero perrexit. Icona seu icon est imago. Anastas. infr. eod. *Calicem sanctam Evangelistarum habentem iconam.* Et infrà: *Cum beatissimi Stephani primi Martyris icona.* Idem in Benedicto III. *Dominique Jesu-Christi, ejusque semper Virginis genitricis iconam bipenni, quod non debuerat, ad ima dejecit.* Et infrà: *Ex argento purissimo, auroque perfusam fecit iconam.* Iconia. Papias: *Iconia imago, à Græco εἰκών.* Robertus Montensis in Supplemen. Sigebert. ad ann. 1183. *Et obtulit ei sigillum iconiæ suæ.* Matth. Paris ad ann. 1204. *De iconia Dei Genitricis.* Jo. Bromton. in Ricardo I. ad ann. 1190. *Faron dicitur locus, ubi civitas sita est: & Christiani qui eam ædificaverunt, sic eam nominaverunt, qui in nomine Dei Genitricis Mariæ quamdam iconiam supra murum statuerunt.*

Et crucis propriis faciens signaculum digitis, amplius ignis extendere flammas non potuit. Vico Saxonum flagrante, Pontifex signo crucis ignem extinxit.

Octavam Assumptionis beatæ Dei Genitricis diem, quæ minimè Romæ antea colebatur, vigiliis sacris matutinisque cum omni Clero pernoctans laudibus in Basilica ejusdem semper Virginis Dominæ nostræ, quæ foris muros juxta Basilicam beati Laurentii Martyris sita est, celebrari præcepit. Octava Assumptionis B. Mariæ à Leone IV. instituta. Assumptio B. Mariæ inter majores festivitates anni. Capitular. libr. 1. cap. 164.

Omnes qui aderant huic celebritati, plures argenteos erogavit. In die Assumptionis B. Mariæ Leo IV. largitionem fecit in plebem: quod fuisse moris Pontificii, jam observatum est suprà in Theodoro. Sic in die benedictionis Leoninæ urbis largitio in plebem facta à Leone IV. ut infrà: *In qua scilicet civitate magnam sive Romanis, sive diversis nationibus, in summæ solemnitatis die rogam distribuit.* Et in die benedictionis alterius urbis Leopolis dictæ, æquè largitio facta in plebem, ut subjungitur infrà hoc loco: *Et non modicam manibus propriis, præ amoris magnitudine, universo populo rogam distribuit.*

Fecit isdem benignissimus crucem auream noviter, & ipsa crux, ut mos antiquitus est, Subdiacono manibus ferebatur ante equum prædecessorum Pontificum. Crux ubique præfertur ante Romanum Pontificem. Patriarchæ habent jus præferendæ crucis ubique, nisi in urbe Româ, & ubicumque Pontifex præsens extiterit,

vel Legatus ejus utens insignibus Legationis, Cap. *Antiqua. de privilegiis.* Ro. Pontificem equo vectari moris fuit. Anastas. in Benedict. III. *De qua exeuntes, eum super equum ovantes, in quo Leo Præsul sedere consueverat, posuerunt.* Idem in Adriano II. *Plerique in equo, cujus sessione sanctissimus Papa Nicolaus ad sanctum Petrum pergens, usus fuerat, eum cum Pontificali Pallio impositum præcedentibus Axiomaticis, in urbem redire, Patriarchiumque subire conspexerant.*

Fecit denique tabulam de smalto, opus ducentas sexdecim auri obrizi pensan. libras Smaltum est genus picturæ encausticæ. Anastas. in Benedict. III. *Rete factum miro opere totum ex gemmis alvaberis, & bullis aureis, conclusas etiam auri petias in se habens smaltitas.* Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. libr. 1. cap. 20. *Super altare autem S. Benedicti argenteum cyborium statuit, illud auro & smaltis simul exornans.* Et cap. 56. ejusd. libr. *Crucem etiam pulcherrimam cum gemmis ac smaltis ad præcedendum fecit.* Idem lib. 2. cap. 24. *Hic Abbas fecit capsam argenteam magnam inauratam, cum smaltis coloris varii & gemmis.* Vulgò *émail*, Italis *smalto.*

In Basilica sancti Sebastiani Martyris, quæ in Frascata consistit. Frascata est vicus suburbanus hortis & aquis irriguis amœnissimus. Anastas. in Benedicto III. *Necnon & in Basilica sancti Christi Martyris beati Sebastiani, quæ ponitur in loco qui vocatur Frascata.* Idem in Nicolao: *In Principis Apostolorum æde Frascatæ constructa.* Antiquis Tusculum.

In Monasterio S. Silvestri, sanctique Benedicti, & sanctæ Scholasticæ, quod nuncupatur sub Lacu, vestes de fundato tres. Monasterium sancti Benedicti sub Lacu, est primum Monasterium quod condidit Benedictus, & unde migravit Montem Cassinum. Sigebertus in Chronic. ad ann. 559. Leo Ostiens. libr. 1. cap. 1. Extat celeberrima Constitutio Innocentii III. in cap. *Cùm ad Monasterium. de stat. Monachor.* ad Abbatem & Conventum Sublacensem.

Necnon & in Ecclesia sanctæ Genitricis Dei Mariæ, quæ ponitur in Morenico Narrano, fecit vestem de fundato unam. Perperam Morenicum legitur, pro *Marenico.* Marenicum est regio maritima Latii, vulgò *Maresme.* Narranum dicitur, quâ Nar amnis influit in Tyberim, cujus meminit Plin. libr. 3. cap. 5.

Christo solatiante. Solatiari est solatio levare. Gregor. libr. 1. epist. 13. *Huic vos solatiari, in quo sibi necesse fuerit, admonemus.*

Et idem epist. 19. ejusd. libr. *Solatiante Domino nobis.* Thom. Cantiprat. libr. 1. cap. 10. *Si Moniales suas ad solatium educebat, in medio omnium considebat, & aliquid de Deo, vel de Scripturis, vel etiam de moribus proponebat.*

Ut prædicta civitas, quæ à proprio conditoris sui nomine Leoniana vocabatur. Leo IV. collem Vaticanum, ubi est Basilica B. Petri, muris cinxit, adversus Sarracenorum irruptiones, & Leoninam urbem de suo nomine appellavit: quam Corsis à Sarracenis patriis sedibus pulsis habitandam & tuendam tradidit, ut ait Anastas. hîc. Luitprand. Ticinens. Hist. libr. 1. cap. 8. Sigebert. ad annum 836. Leo Ostiens. libr. 1. cap. 29. Hoc factum est collatis operis civitatum, massarum & Monasteriorum, ut paulò antè indicat Anastas. *Tunc omnibus ita visum est, ut de singulis civitatibus massisque universis publicis, ac Monasteriis per vices suas generaliter advenire faciisset, sicut & factum est.* Leoninæ urbis meminit Gunter. Ligurin. libr. 3.

qui sacra beati
Corripiant positâ formidine limina Petri,
Atque Leoninæ munimina fortiter urbis.

Vaticanum hodie nobile Basilicâ S. Petri, & Pontificio Palatio, olim domicilium vilis plebiculæ. Tacit. 2. Hist. *Postremò ne salutis quidem curâ, in fauibus Vaticani locis magna pars tetendit.* Ammian. libr. 27. *Ut liberalem se & multitudinis ostenderet contemptorem, accitos è Vaticano quosdam egentes opibus ditaverat magnis.*

Et inter cætera ab Episcopis Cardinalibus aquam fieri benedictam præcipit. Leo IV. cum Clero universo Leoninam urbem semel exædificatam nudis pedibus circuivit, & benedixit aquâ benedictâ ad hoc per Episcopos Cardinales. Idem aliam urbem de suo nomine Leopolim dictam condidit, & pedes circuivit, & benedixit aqua benedicta per muros sparsa, ut infrà subjungitur.

Super posterulam, ubi mirum in modum Castellum præeminet, quæ vocitatur sancti Angeli. Posterula est postica, ut infr. eod. *Tertiam verò orationem cecinit super posterulam aliam, quæ respicit ad Scholam Saxonum, quæ ex eorum vocabulo Saxonum posterula appellatur.* Idem in Benedict. III. *Et ingressus est per posterulam, quæ appellatur sanctæ Agathæ, in urbem Romanam.* Porta posterula hîc est una è septem portis urbis Leonianæ. Posticam Græci ψευδοθυρον, unde translatum est Latinum pseudothyrum. Am-

mian. libr. 14. *Per Palatii pseudothyrum introducta.* Alii posticulam. Leo Ostiens. Chron. Cass. libr. 3. cap. 1. *Ecclesiæ posticulam.*

Castellum sancti Angeli, ad Tyberim. Olim moles Adriani. Baron. in Martyrolog. R. Sept. 29. Leo IV. Adriani molem munivit, & ex ea castrum fecit, quod dictum est S. Angeli. Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. libr. 2. cap. 18. *Quo tempore idem Imperator Crescentium Romanum Senatorem, qui se in Castello sancti Angeli, juxta pontem sancti Petri, adversus eum rebellando se munierat, sacramento deceptum cepit.*

Super posterulam aliam quæ respicit ad Scholam Saxonum. Romæ fuit Schola Saxonum, quam ab omni censu liberavit Marinus Pontifex, rogante Elfredo Rege. Rogerus Hoveden. ad ann. 887. *Marinus Papa Scholam Saxonum in Roma morantium, pro amore & deprecatione Regis Elfredi ab omni tributo & telone liberavit benignè.* Romæ quamplures & diversæ fuere Scholæ peregrinorum, ut Francorum, Frisonum, Saxonum & Longobardorum, de quibus meminit Anastas. in Leone III. *Simul etiam & cunctæ Scholæ peregrinorum, videlicet Francorum, Frisonum, Saxonum atque Longobardorum, &c.* Et idem infr. hoc loco: *Et in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam ipse beatissimus Pontifex, à fundamentis super Scholam Saxonum noviter construxit, obtulit vestes de fundato tres.*

In exordio sui Pontificii. Pontificium pro Pontificatu, vel summa potestatis. Arnob. adversus Gent. libr. 2. *Ita unius Pontificium Christi est, dare animis salutem.* Idem vel alius in Psalm. 68. *Ergo hi accipiunt Pontificium judicandi.* Idem in Psalm. 113. *Dabat Pontificium dominandi Sacerdotibus templorum.* Solin. Polyhist. cap. 21. *Devotionis quam peregrè prosequebantur, Pontificium mox intra fines suos receperunt.* Symmach. libr. 10. ep. 44. causæ Pontificium; & in L. 1. C. Th. *de Episc. judic.* Pontificium disceptationis; & in L. 1. C. eod. *De bon. matern.* fruendi Pontificium.

In hac denique post cætera Synodo Anastasius Presbyter Cardinalis tituli beati Marcelli, ab omnibus canonicè est depositus, eo quòd Parochiam suam per annos quinque, contra Canonum instituta, deserit. Anastasius Presbyter Cardinalis tit. B. Marcelli in Synodo Romana depositus ob moram quinquennii in aliena Parochia, propriâ relictâ, ut constat ex hoc loco Anastas. & ex d. Synodo. Unde desumptum est cap. 2. *De Cleric. non residentib.* Ejusdem Anastasii meminit Auctor noster in Adriano II.

Inter quos ipse Præsul civitatem quam fieri jusserat, Petro inter-

veniente, offert depictam. Leo IV. Leoninam urbem à se conditam in tabula depictam Petro obtulit. Romæ urbis imaginem specie mulieris ponit Corippus de laud. Justin. libr. 1.

Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exerto & nudam gestantem pectore mammam.

Obtulit tres oleas mazonicas admirabilis pulcritudinis, serico textas, coloreque depictas, quæ videlicet festis diebus in circuitu altaris majoris dependerent. Obtulit oleas majoricas: sic legendum existimo, id est, majores, id est, pallia serica majora, intexta majoribus oleis, & coloris oleæ, id est, viridia. Oleæ majores regiæ & majorinæ dictæ. Plin. libr. 15. cap. 3. *Indicio sint, quæ regiæ vocantur, ab aliis majorinæ.* Sic calcei hederacei dicti à colore hederæ, id est, virides. Trebell. Pollio in Claudio: *Calceos mulleos, & cereos, & albos, & hederacios virus omnibus tulit, mulieribus reliquit.* Herbarum colorem pro viridi dixit Martial. libr. 5. epigr. 24.

Herbarum fueras indutus, Basse, colores.

Majorica pro major. Duæ sunt Baleares insulæ, quarum altera major, Majorica; altera minor, Minorica dicta est.

* *Fecit autem & in Ecclesia sancti Marciani, quæ sita est in Domucella, quæ vocatur Balnearola, vestem de fundato unam.* Ecclesia S. Marciani Martyris fuit Romæ, sita in loco, cui nomen Domucella. Domucella, Domuncula, οἰκίσκος: inde nomen loco, quia ibi fortè erant humiliores ædes, in quibus tenuiores habitabant. Eidem loco nomen fuit Balneorola, quia ibidem erant balneola, id est, minora balnea publica in usum plebis. Romæ in singulis regionibus urbis erant balnea. Lamprid. in Alexandr. Severo: *Alexander balnea omnibus regionibus addidit, quæ fortè non habebant.* Inde sublatis balneis quamplura loca, balnei vel balneoli ibi olim positi nomen retinuerunt. Balneola sunt minora balnea. Senec. epist. 86. *Balneolum angustum tenebricosum ex consuetudine antiqua.*

Baucas exauratas tres. Bauca est genus armillæ. Anastas. in Benedict. III. *Baucas ex auro purissimo duas pens. libras.* Papias: *Bauca, armillæ.* Aliis baugæ. Capitular. appendic. 2. cap. 5. *Ut bauga & bruniæ non dentur negotiatoribus.* quod redditur armillæ. Capitul. libr. 6. cap. 212. *Ut armillæ & bruniæ non dentur negotiatoribus.*

Antiphonarium, Psalterium, & Sacramentorium, Gestorum & Sermones, sed & Evangelium cum tabulis argenteis Antiphonarium est codex antiphonarum, quo utuntur in Ecclesiis antiphonis

canendis. Antiphonarium Ecclesiæ Romanæ composuit Gregorius I. Jo. Diacon. libr. 2. cap. 6. *Antiphonarium centonem Cantorum studiosissimus nimis utiliter compilavit.* Psalterium est codex Psalmorum Davidis: Sacramentorium est liber Sacramentorum, continens rationem & ordinem Sacramentorum administrandorum; & hic est libellus officialis, qui Presbyteris ordinandis tradi debet ab Episcopo, ut ex eo discant ritum & ordinem administrandorum. Syn. Tolet. IV. can. 25. *Quando Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum officialem à suo Sacerdote accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam in ipsis divinis Sacramentis offendant.* Can. *Quando.* 38. dist. Codex gestorum est codex actorum sanctorum Martyrum & Confessorum: is censetur inter codices Ecclesiasticos, quia gesta sanctorum Martyrum & Confessorum legi solebant in Ecclesiis, in die anniversario eorum. Concil. vulgò dictum African. can. 13. *Liceat etiam legi Passiones Martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.* Gregor. Tur. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 86. *Dies Passionis erat Polycarpi Martyris magni, & in Ricomagensi vico civitatis Arvernæ ejus solennia celebrabantur. Lecta igitur Passione cum reliquis Lectionibus quas canon sacerdotalis invexit, tempus ad sacrificium offerendum advenit.* Idem de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 16. *Procedente verò Lectore qui beatæ Passionis recenseret historiam, ut revolvit librum, & in principio Lectionis sancti Iuliani protulit nomen, &c.* Idem de mirac. B. Martini libr. 2. cap. 49. *Denique Sacerdotibus qui advenerant, ad agenda solennia procedentibus, cum Lector cui legendi erat officium, advenisset, & accepto libro, Vitam Sancti cœpisset legere Confessoris, &c.* Conscribebantur quoque libelli de miraculis sanctorum Martyrum, qui publicè legebantur in Ecclesiis. August. de Civit. Dei libr. 22. cap. 8. *Canon quippe sacrarum litterarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit ubique veritati, & memoriæ cunctorum inhærere populorum.* Et infrà: *Si enim miracula sanitatum, ut alia taceam, modò velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est, glorioſissimum Stephanum facta sunt in Colonia Calamensi, & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri, nec tamen omnia colligi poterunt; sed tantùm de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis.* Et infrà: *Sed libellorum dandorum ibi consuetudo non est, vel potius non fuit: nam fortasse nunc esse jam cœpit.* Et rursus: *Nam & ubi diligentia est, quæ nunc apud nos esse cœpit, ut libelli eorum qui beneficia percipiunt, recitentur in populo.* Sermones sunt Homiliæ SS. Patrum, quæ per

anni

anni circulum Dominicis & aliis festis diebus recitantur, Can. *Quæ ipsis.* 38. dist. Conc. Vasens. II. can. 2. *Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente, per se ipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum Homiliæ à Diaconibus recitentur.*

Gratianum eminentissimum Magistrum militum, & Romani Palatii egregium Superistam. Magister militum Superista, id est, Superiorseu Præfectus Palatii, ut infrà eodem: *Gratianus Romanæ urbis Superista.* Ejusdem meminit Anastas. in Benedicto III. *Gratianum verò sacri Superistam Patriarchii.*

Illico clementissimus Imperator nolens contra instituta veterum Augustorum peragere Romanorum, eos secundùm Romanam legem instituit judicare Gratianus Magister militum rem postulatus à Daniele, de studio pro Græcis, adversus Francos, Ludovico Imperatore permittente judicatus juxta legem Romanam. Conspiratores adversus Leonem III. æquè annuente Carolo M. damnati sunt juxta legem Romanam. Ademar. in Vit. Caroli M. *Post paucos autem dies jussit eos, qui Papam anno superiori dehonestaverant, exhiberi, & habita decies quæstione, secundùm legem Romanam, ut majestatis rei, capite damnati sunt.* Idem Aimoin. libr. 4. cap. 28. cap. 90. Si Presbyter vel Diaconus redarguatur falsam ab apostolica Sede epistolam detulisse, consulendus est Pontifex, quid de talibus justo ordine lex Romana statuat definire, ex Capitulis Caroli, unde desumptus est Can. *In memoriam.* 29. dist. ideo jam dicto Gratiano ante omnes est traditus, ut quicquid de eo facere vellet, potestatem haberet. Daniel insimulatus de calumnia adversus Gratianum Magistrum militum, ultro confessus de crimine, traditus est Gratiano, ut de eo faceret quicquid vellet.

IN BENEDICTO III.

ET cuidam Balneo-Regiensi Episcopo, qui vocitabatur nomine Romanus. Balneo-Regium civitas Episcopalis Thusciæ, cujus meminit Gregor. I. libr. 8. epist. 38 *In castro Balneum-Regis dicto.* Paul. Diaconus de gest. Longobard. libr. 4. cap. 33. *Civitates quoque Thusciæ, hoc est, Balneum Regis, & urbs vetus, à Longobardis invasæ sunt.*

His itaque peractis, Clerus & cuncti Proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & consuetudo prisca, ut poscit, invictissimis Lothario ac Ludovico destinaverunt Augustis. Eâ consuetudine

decretum electionis Rom. Pontificis solebat destinari, id est, mitti ad Imperatorem, & ab eo confirmatio petebatur. Hoc jure electio Benedicti III. destinata est Lothario & Ludovico Augustis.

Altera verò die prædicti Episcopi cum universo Clero, in Æmilianæ titulo convenerunt. Hæc est Ecclesia sanctæ Æmilianæ Martyris, quæ est titulus Cardinalis, cujus fit mentio in Concilio Romano sub Symmacho, & apud Anastas. in Gregorio IV. *Pari modo & in titulo Æmilianæ obtulit vestem de fundato.*

Et impetu facto, absidam, in qua Episcopi psallentes residebant cum Clero. Absis est sedes Episcopi ad quam gradibus datur ascensus. August. epist. 203. *Transit honor hujus sæculi in futuro Christi judicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ.*

Candelabra septem cum cornibus ex argento purissimo obtulit. Candelabrum cum cornibus, id est, brachiis hinc inde, quæ cornua vocantur, quia habent speciem cornuum: sic cornua antennarum navis, extremitates antennarum. Valer. Flac. libr. 1. *Antennaque levo prona dehiscentem cornu, cùm sustulit undam.* Tertull. adversus Marcion. libr. 3. cap. 18. *Nam & in antenna navis, quæ crucis pars est, extremitates cornua vocantur.* Virgil. 5. Æneidos. *Una ardua torquent, cornua detorquent.* Sic cornu mensæ dextrum vel sinistrum, quia apud veteres mensæ erant efformatæ in speciem hemicycli, qui habet duplex cornu. Sidon. libr. 1. epist. 11. *Primus jacebat cornu sinistro.* Gregor. Tur. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 80. *Discumbentibus autem ad convivium, vir ille cum Presbytero dextræ partis cornu occupat.* Idem in Nicolao iisdem verbis.

Ac inde ascendit per plateas & vicos, usque ad clivum argentarii. Romæ fuit vicus argentarius, is est vicus argentariorum, seu nummulariorum, de quo Augustin. in Psalm. 37. *Hîc in terra si velles servare divitias, quæreres horreum: non fortè crederes domui tuæ, propter domesticos tuos commendares ad vicum argentarium: difficilis est enim ibi casus, fur non facilè accedit, bene omnia servantur.* Vel est vicus argentariorum, qui vasa argentea conflant. Idem de Civit. Dei libr. 7. cap. 4. *Vel tanquam opificum in vico argentario, ubi unum vasculum ut perfectum exeat, per multos artifices transit, cùm ab uno perfecto perfici posset.* Capitolin. in Macrin. *Argentariorum, aurificum.*

Die sexto Apparitionis Domini nostri Iesu-Christi secundùm carnem, id est, Theophaniæ. Ἐπιφάνεια, id est, apparitio appellatur,

dies qua Christus baptizatus est, quia in hunc usque diem incognitus fuit. Eo die Christus aquas sanctificavit : idcirco in hac solemnitate sub mediam noctem, omnes cùm aquati fuerint, domum latices referunt, ac per integrum annum conservant, quòd hoc die sanctificatæ sint aquæ. Jo. Chrysostom. homil. 24. ad Antiochen. Eamdem Græci vocant Θεοφανείαν, inde Latini Theophania, veteribus Francis *la Tiphaine*. Celebratur die 6. Januarii Martyrolog. R. ubi Baron. Epiphaniam vocat Ammian. libr. 20. *Et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario, Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum Ecclesiam solemniter numine orato discessit.* Et Ambros. sermon. 17. *Quomodo igitur potestis religiosi Epiphaniam Domini procurare, qui jam Kalendas, quantum in vobis est, devotissimè celebrastis.*

Ad cooperiendum billicum confessionis, fecit cooperculum ex auro purissimo. Lege *umbilicum*, id est, medium confessionis. Sic rectè restituit Lacerda Adversf. cap. 95. num. 18. Umbilicus est medium corporis, vel regionis, vel cujuslibet rei. Plin. libr. 3. cap. 12. *In agro Reatino Cutiliæ lacum, in quo fluctuet insula, umbilicum esse M. Varro tradidit.* M. Tull. Verrin. 6 *Ex Ennensium nemore, qui locus, quòd in media est insula situs, umbilicus Siciliæ nominatur.* Umbilicus libri est medium libri. Martial. libr. 3. epigram. 2. *Cedro nunc licèt ambules peruncta, & frontis gemino decens honore, pictis luxurieris umbilicis.* Umbilici etiam sunt alveoli ex auro, qui monilibus ex utroque capite inter gemmas adhibentur. Solin. Polyhist. cap. 55. *Indici Reges hoc genus gemmarum, & ad monilia habent, quæ plerumque ex utroque capite insertis aureis umbilicis incendunt ad nitelam pinguiorem, ut pro industria metallo hinc inde addito, fulgentiorem trahant lucem.* Umbilicus etiam ovis tribuitur Plin. libr. 10. cap. 52. *Umbilicus ovis à cacumine ineat, seu gutta eminens in putamine.* Umbilicus diei, est tempus meridianum diei. Plautus in Menæchm. *Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus.*

Obtulit vestem Annunciationis habentem historiam, & Hypopanti, qualiter ipse unigenitus Dei Filius, templum ingressus, Doctorum in medio residebat. Hipopante est festum Purificationis B. Mariæ, quòd Græcis ὑπαπαντὴ ab occursu Symeonis, cujus solemnitatis imago intexta erat in veste quæ oblata est à Pontifice. Hujus festi meminit Auctor noster suprà in Sergio, ubi dixi.

Rete factum miro opere totum ex gemmis albaveris & bullis au-

reis, concluſas etiam auri petias in ſe habens ſmaltitas. Rete ſeu reticulum contextum ex auro & gemmis alvaberis, id eſt, ex gemmis diſpoſitis in modum albarum viriarum ſeu armillarum, habens incluſas auro petias ſmaltitas, id eſt, ſegmenta ſeu plagulas ex ſmalto, quod fit ex vitro fuſili. Reticulum eſt velum ex auro & gemmis confectum opere reticulato, quo mulierum capilli conſtringuntur. Servius in illum verſ. 4. Æneid. *Crines nodantur in aurum. Retiolum dicit, quod colligit comas, quæ Græcè χρωβύλη dicitur.* Lamprid. in Heliogabalo: *Erant amici improbi & ſenes quidam & ſpecie Philoſophi, qui caput reticulo componerent.* Idem in Alexandro Severo: *Matronas autem regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque inauribus & baccato monili.* Capitolin. in Maximino Juniore: *Manſerunt autem apud eâm arræ regiæ monilium de albis novem, reticulum de praſinis undecim.* Calicem cum reticulo pendente de gemmis albis, id eſt, margaritis, obtulit Imperator. Anaſtaſ. in Benedicto III. *Calicem reticulo pendente de gemmis albis.* Baſiliſci cadaver in Æde Apollinis reticulo aureo ſuſpenſum, refert Solin. Polyhiſt. cap. 30. Lecti etiam Principum reticulo incluſi, ne offenderentur. Spartian. in Vero: *Nam lectum eminentibus quatuor anacliteriis fecerat, minuto reticulo undique incluſum.* Reticuli quoque circa columnas ponebantur. Bullæ aureæ pendebant ornatûs causâ. M. Tull. Verrin. 6. *Bullas omnes aureas ex his valvis, quæ erant & multæ & graves, non dubitavit auferre.* Leo Oſtienſ. Chronic. Caſſ. libr. 3. cap. 31. *Alteram etiam iconam argenteis bullis extrinſecùs in gyro circumdatam.* Auri petia, eſt auri bracteola ornatûs causâ reticulo incluſa. Hinc petiolus eſt pediculus, quo ficus, mala & alii fructus hærent ramis arboris. Apitius de re culinar. libr. 1. *Ficum recentem, mala, pruna, pira, ceraſia, ut diu ſerves, omnia cum petiolis diligenter legito.* Columell. de arborib. cap. 23. *Cùm jam matura mala fuerint, antequam rumpantur, petiolos quibus pendent, intorqueto.*

Necnon & amendulas aureas numero undecim. Amygdalæ, quæ vulgò amendulæ, ex auro ornatûs causâ proponebantur in ſacris ædibus. Leo Oſtienſ. Chron. Caſſin. libr. 2. cap. 38. *Amygdala quoque & inauratas nuces.*

Pauli Apoſtoli & aliorum Apoſtolorum Epiſtolæ atque Prophetarum ordinabiliter conſtitutæ Lectiones, quæ à Subdiaconibus leguntur per cunctas Eccleſiarum ſtationes more ſolito ſurſum in ambone, raptum vel perditum. Lectiones à Subdiaconis leguntur in ambone per ſtationes.

Græcas & Latinas Lectiones, quas die Sabbatho ſancto Paſchæ, ſimulque

& sancto Pentecostes Subdiaconi legere soliti sunt. Die Sabathi sancti & Pentecostes Græcæ & Latinæ Lectiones lectitantur in Ecclesia Romana, ut ostendatur concordia & communio Ecclesiarum inter se.

Per manum Lazari Monachi, & pictoriæ artis nimiè eruditi, genere verò Chazai. Lege *Chazari*. Cazari sunt Turci Orientales. Paul. Diacon. libr. 18. *Turcos ab Oriente, quos Cazaros vocant, in auxilium advocat.* Idem Anastas. in Hist. iisdem verbis.

Saraca de olovero cum chrysoclavo. Saracum genus est pallii serici auro clavati. Alibi saracum est genus vehiculi Gallici. Hieronym. in Esaiam libr. 18. cap. 66. *De Sarraco Gallico, coviniſque Belgicis.* Chrysoclavum est auro clavata vestis. Trebell. Pollio in Tacito: *Auro clavatis vestibus idem interdixit.*

Camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclavo. Camisiæ albæ sigillatæ, id est, sigillis seu parvulis signis asperæ non erant ad usum, sed offerebantur ad ornatum sacrarum ædium. Camisia est tunica interior linea. Isidor. Origin. libr. 19. cap. 22. *Camisias vocamus, quòd in his dormimus in camis, id est, in stratis nostris.* Idem Papias. Hieronym. ad Fabiolam de veste militari: *Solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sicaptas membris, & astrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, ensem librare, & quocumque necessitas traxerit.* Gregor. libr. 6. epist. 27. *Duas autem camisias & quatuor oraria vobis transmisi, quæ prædictus vir ex benedictione sancti Petri peto humiliter offerri.* Ubi dixi. Sic scyphi sigillati erant signis insculpti. M. Tull. Verrin. 6. *Jubet me scyphos sigillatos ad Prætorem statim afferre.* Et putealia sigillata, erant opercula puteorum, quæ erant sigillis exornata. M. Tull. 1. ad Attic. 8. *Et putealia sigillata duo.* Hinc & Sigillaria vicus in urbe, in quo vasa cælata, quæ erant sigillis aspera, venibant. L. penult. §. *Paterf. de legat.* 3. Cujac. 11. obs. 36. Et sigillaria sunt ipsa sigilla. Senec. epist. 12. *Ego sum Felicio, cui solebas sigillaria afferre.*

IN NICOLAO I.

FECIT in confessione ipsius Basilicæ jugulum de auro mundissimo pensant. libras numero duas. Jugulum confessionis B. Petri est jugum minus. Jugum confessionis B. Petri est summum confessionis, ut jugum montis. Eadem analogia jugulum causæ, pro summo causæ. Plin. 1. epist. 20. *Tu omnia quæ sunt in causa, putas exequenda, ego jugulum statim video, hunc premo.*

Calicem de auro ex lapidibus circumdatum, & in circuitu pendentes hyacinthinos in filo aureo, & repidia duobus in typo pavonum. Repida sunt sigilla seu parva signa, quæ ornatûs causâ propendebant ex calice aureo, à Græco ῥέπω, propendeo. Suidas: ῥέπει, κλίνει, *propendet, inclinat.*

Cautiones & indiculos qui soliti sunt ab Archiepiscopis Ravennatibus in scrinio fieri, in initio consecrationis suæ, more Felicis decessoris sui falsavit. Episcopi tempore ordinationis solebant indiculum, id est, descriptionem seu inventarium rerum Ecclesiæ facere, & cautionem, id est, chirographum in scrinio Ecclesiæ deponere de rebus Ecclesiæ tuendis & restituendis, ne impune in his grassarentur. Eisdem moris erat & descriptionem rerum propriarum facere, ut liqueret quæ essent propria Ecclesiæ, quæ Episcopi. Can. *de Syracusanæ.* 18. dist. Balsamo in can. 22. Conc. Calched.

Item sancimus ut Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem Ducis, Cleri & populi, per epistolam Apostolicæ Sedis Præsulis acceperit eos consecrandi licentiam. Nicolaus I. Joannem Archiepiscopum Ravennatem regradatum restituit, ut Episcopos Æmiliæ etiam legitimè electus non consecraret, nisi priùs acceptâ licentiâ eos consecrandi per litteras Pontificias. Hinc desumptus est Can. *Episcopos.* 63. dist. Rem narrat Hieronym. Rubeus Hist. Ravenn. libr. 5. ad ann. 866. Episcoporum Æmiliæ consecratio pertinet ad Archiepiscopum Ravennatem. Ravenna est caput & metropolis Æmiliæ provinciæ, can. *Denunciamus.* 25. qu. 2. Paul. Diacon. de gest. Longobard. libr. 2. cap. 18.

Consuetudinem, quæ à quibusdam triceſimalis dicitur. Vetat ne Episcopi Æmiliæ consuetudinem, quæ triceſimalis dicebatur, exhiberent Archiepiscopo Ravennati. Consuetudo triceſimalis erat triceſima redituum, quam Episcopi Æmiliæ præstabant Archiepiscopo Ravennati. Ex consuetudine vel privilegio nonnulli Episcopi, vel Archidiaconi, suos faciunt fructus primi anni vacantium Beneficiorum, deportûs seu annatæ nomine. Cap. *Si propter. de rescript.* in VI. Innocent. libr. 1. epist. 126. Hoc jure utuntur Episcopi Normanniæ, necnon Episcopus Parisiensis. Gloss. in Pragmatic. tit. de annat. §. 1. v. *Consuetudinis.* & §. *Noluit tamen.* v. *Permutationis.* Consuetudo sæpius occurrit pro vectigali, quod consuetudine inductum est, ut sunt pleraque, cap. *Super quibusdam. de V. S.* Hoc sensu consuetudo de secundis

auxiliis, quam reprobat Jo. Sarisber. epist. *Domino vovimus inter cætera, quòd consuetudinem de secundis auxiliis, quam frater noster Archidiaconus Ecclesiis imposuit, destrueremus.*

Præcipimus tibi, ut nunquam res cujuscumque personæ qualicumque ingenio, vel chartula acquisitas, & possessas olim, modò occupes, aut titulum superimponas. Nicolaus I. vetuit Joanni Archiepiscopo Ravennati, ne rebus alienis titulos imponat sine judicio Pontificis, vel Missi ejus. Hoc sumptum est de jure, ne quis prædiis alienis titulos vel vela regia, id est, signa imponat, in signum possessionis vel pignoris, sine auctoritate Judicis vel Principis, L. unic. C. *De his qui potent. nomine titul. præd. affig.* Augustin. in Psalm. 21. *Quid ad defensionem possessionis tuæ titulos Christi posuisti? nonne hoc faciunt nonnulli in domo sua, ne domum ipsius invadat aliquis potens? ponis ibi titulos potentis, titulos mendaces.* Idem de verbis Domini sermone 62. de hæreticis & schismaticis: *Planè in ipsis deprædationibus suis titulum illius posuerunt, ut prædæ ipsorum quasi defenderentur per titulum potentis.* Et infrà: *Titulum non deponit, & possidet domum, quia invenit ibi titulum suum.* Cortinas regias vocat Ambros. epist. 33. Ne Ecclesia fisci more titulos imponat prædiis alienis, vetuit Gregorius libr. 4. epist. 44.

Tunc è latere suo duos Episcopos Radualdum Portuensem, & Zachariam Anagninum, quos idoneos ad hoc opus esse putavit, direxit. Ignatio Patriarcha C. P. depositio, & Photio ex laïco sublecto, Pontifex duos Legatos è latere misit, Rodoaldum Portuensem, & Zachariam Anagninum Episcopos, ut de causis depositionis Ignatii cognoscerent, & ad eum referrent. Hac ætate Legati à latere dicebantur quicumque Episcopi missi essent ex Curia Romana: & hi sunt quos Græci vocant Legatos ἐκ μετώπου, ut notat Balsamo ad Syn. VI. in Trull. in princ. Hodie Legati à latere dicuntur Legati Cardinales, cap. 1. *de offic. Legat.* in VI.

Pontifex quendam Peponem Diaconum à Pandulpho Episcopo Sedem Apostolicam appellantem, injustè depositum officio suo restitui jussit. Per hoc tempus ab Episcopis appellabatur ad Pontificem, omisso medio. Can. *ad Romanam.* can. *Qui se scit.* 2. qu. 6. can. *Cuncta per mundum.* 9. qu. 3.

Denique convocata Synodo in Lateranensi post hæc Palatio sub Apostolis, inventi sunt iidem, ut dictum est, Archiepiscopi, unde damnationis notam incurrerent. Thetgaudus Trevirensis, & Gunthe-

rius Colonienſis Archiepiſcopi, à Nicolao in Synodo Lateranenſi depoſiti, quòd divortio Lotharii & Thetbergæ ſuffragium accommodaſſent in Synodo Metenſi, ut mox Valdradam uxorem duceret, de quo Nicolaus epiſt. 58. unde deſumptus eſt can. *Scelus.* 2. qu. 1. can. *Theugualdum.* can. *Ita corporis.* 11. qu. 3. 2. Regino 2. Chronic. Jo. Diacon. libr. 1. cap. 94.

Et ſententiam quam in Ingeltrudin uxorem Boſonis Papa tulerat, quæ eundem virum ſuum Boſonem per ſeptenne tempus reliquerat, atque excommunicata etiam, & à ſummæ Sedis Pio Papa legata & anathematizata extiterat. Inter cauſas depoſitionis Thetgualdi & Guntherii fuit & altera, quòd Engeltrudi excommunicatæ ob diſceſſum à Boſone Comite marito, communicaſſent, de quo Nicolaus præd. epiſt. 58. Engeltrudem uxorem Boſonis non ſolùm excommunicatione, ſed etiam anathemate crebrò percuſſam, fertur in can. *Engeltrudem.* 3. qu. 4. quem Gratianus malè tribuit Joanni VIII. Eſt enim reddendus Nicolao I. qui in Synodo Lateranenſi Engeltrudem hanc à ſe fuiſſe bis excommunicatam refert. Engeltrudis crebrò excommunicata dicitur, id eſt, iterum denunciata, excommunicata. Aliàs ſemel poſitus extra Eccleſiam, non poteſt ampliùs extra poni. Hoſtienſ. in cap. *Ita quorumdam de Judæis.*

In hac quidem Synodo benignus Præſul Metenſem Synodum, ubi geſta illa contra voluntatem Dei & ſuam digeſta fuerant, caſſavit. Nicolaus in Synodo Lateranenſi irritam pronuntiavit Synodum Metenſem, in qua divortium Lotharii & Thetbergæ comprobatum fuerat.

Nam reliquis pauperibus, ut viciſſim eos paſceret, ſapienter reperit modum, ſcilicet bullas ſuo nomine titulatas, & has eis dari præcepit. Pontifex paſcebat pauperes, datis eis bullis inſcriptis ſuo nomine, quarum ſigno ſtipes eis pro modo cujuſque erogabantur. Et hoc eſt quòd dicitur mox : *Per ſignum bullarum faciliùs noſceretur.* Bullæ ſunt chartulæ ſigno munitæ. *Bulletins.* Bullæ ſunt ſigilla aurea vel plumbea tympano incluſa, diplomatibus Regiis vel Pontificiis apponi ſolita ob fidem publicam. Willelmus Rex Siciliæ apud Robert. Montenſ. in Supplem. Sigebert. ad ann. 1178. & apud Roger. Hoved. ad ann. 1176. *Privilegium per manus Alexandri Notarii noſtri ſcribi, & bullâ aureâ tympano impreſſâ roboratum noſtro ſigillo juſſimus decorari.* Et Fridericus II. apud Petrum de Vineis, ejus Cancellarium, libr. 6. epiſt. 26. *Præſens privilegium fieri, & bulla aurea typario noſtræ majeſtatis*

majestatis impressa jussimus communiri. Tympanum est loculus seu cellula qua includitur bulla seu signum, vel gemma. Hieronym. in Ezechiel. libr. 2. cap. 28. *Denique auri tympanum vocat, in quo infixi sunt lapides.* Inde bullatus. Anastas. in Adriano II. de libro Photii: *Quem bullatum quasi verè contagiosum, à sua urbe penitus propulere.*

Sicuti veniente de insula Sardiniæ relatione, quod etiam & per domesticos suos genere Sardos agnoscens, hujuscemodi verbis ei relatum fuit. Sardos incestis nuptiis fœdatos compescuit, re cognita relatione, id est, epistola ad se missa, & per domesticos genere Sardos. Pontifices utebantur domesticis genere Sardis, ut eos quasi obsides haberent fidei, quia Sardinia erat Patrimonii Ecclesiæ Romanæ, ex donatione Constantini, ut suprà observatum est in Constantino.

Quidam præterea Hincmarus Remorum Archiepiscopus Rhotadum Suessonicæ urbis Episcopum Sedis Apostolicæ judicium appellantem contra Sardicenses Concilii regulas depositum, custodiaque rectè servari præcepit. Nicolaus Rothadum Suessionensem Episcopum restituit, quòd ab Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo depositus esset, & custodiæ traditus, spreta ejus appellatione ad Sedem Apostolicam, de quo Nicolaus epist. 44. unde desumptus est can. *Arguta.* 2. qu. 6.

Calices argenteos duos, & staupos argenteos duos. Staupi sunt vasa, è quibus aqua & vinum funditur in calicem, à Græco στάζειν, stillare, fundere. Hinc staupi adjunguntur calicibus, quasi accessiones calicum.

Et in ciborio Constantinianæ Basilicæ, optimos de sifori, & de fundato quatuor pannos appendit. Quid sint panni de sifori, hæret Lacerda Adversar. cap. 95. num. 25. Mihi si quis divinationi locus, sunt panni peregrini barbarici, id est, Babylonici versicolores & belluati, sic dicti, quia foris, id est, peregrè advehebantur: de quibus Senec. de Benefic. libr. 7. cap. 9. *Video sericas vestes: hæ ingenti summa, ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur.* Sidon. libr. 9. epist. 13. *Peregrina det supellex Ctesiphontis ac Niphatis juga texta, belluasque rapidas vacante panno.* Hinc exoticum plumatile, quod erat vestis peregrinæ genus plumatili opere contextum. Plaut. in Epidico: *Aut exoticum cumatile, aut plumatile.* Leo Ostiens. Chron. Cass. libr. 1. cap. 28. *Sericam itidem stericam de silphori, cum auro & gemmis.* Panni de fundato sunt panni auro contexti, quia fundi pretium æquant.

Eo alludens Plautus in Epidico: *Quasi non fundis exornatæ, multæ incedant per vias.* Tertull. de habit. muliebri. *Saltus & insulæ tenera cervix fert, graciles aurium cutes Kalendarium expendunt.* De his Anastas. supr. in Gregor. IV. *Obtulit vestem de fundato unam habentem mucrones in circuitu.* Inde Leo Ostiens.

IN HADRIANO II.

PRÆCEDENTIBUS *Axiomaticis.* Axiomatici sunt Senatores, & alii positi in dignitate, à Græco ἀξίωμα, dignitas: inde ἀξιωματικὸν est salarium quod præstatur dignitatibus. Gloss. B. libr. 1. cap. 8. & 28. *Fundatos duplices.* Vel panni auro texti dicuntur de fundato, quia fiunt ex auro quod funditur. Idem in Histor. *Tribus quidem Comitibus, duobus verò Axiomaticis.*

Domno nostro Hadriano à Deo decreto summo Pontifici, & Universali Papæ, Vita dictum est ter. Adclamari solebat Episcopis. Hieronym. in Matth. cap. 22. *Sacerdotes audientes populum & pueros clamantes Christo, Osanna filio David, testimonium verunt in calumniam, quod hoc non dicatur nisi Filio Dei. Videant ergo Episcopi, & quantumlibet sancti homines, cum quanto periculo dici ista sibi patiantur, &c.* August. de verb. Apostol. serm. 30. *Quasi verò parvus sit fructus sudoris hujus mei, si omnes qui me acclamaverunt; clament & contra se, ne falsum jurent adversum se.*

Et Spatharius calce suo ensique librum percutiens nihilominus ait. Liber Photii pseudo-Patriarchæ damnatus pedibus conculcatur, tum igni crematur, ut infrà eod: *Ad extremum præ foribus graduum, nefandi dogmatis librum, cunctorum pedibus conculcatum excussit, quem nimirum rogus, ut fomentum quoddam ignis, excussit.*

Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ textum Synodi, ne quid Græca levitas falsum in eam congesserit. Anastasio sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecario, subtiliter inquirendum, antequam subscriberent, committunt. Acta Synodi VIII. in qua restituto Ignatio P. C. Photius damnatus est à Legatis Sedis Apostolicæ, antequam subscriberent, dispungenda mandata sunt Anastasio Sedis Apostolicæ Bibliothecario, quia erat peritus utriusque linguæ, ut mox subjungitur, & idem probatur Syn. VIII. act. 1. quæ refertur in can. *Adrianus.* 63. dist.

Sed intueri nec decet, quia aliud ordinant jura sedium, aliud patiuntur divisiones regnorum. Divisio regni non mutat statum Ecclesiarum. Innocent. I. epist. 18. Gelas. epist. 6. ad Darda-

num, Nicolaus I. epist. 32. quæ refertur in can. *Lege.* 10. dist. Syn. Calched. can. 12. Can. *Pervenit.* 101. dist. Syn. VI. in Trull. can. 38.

Acodycharium usque perducti. Lege, *à quo Dyrrachium usque perducti.* Dyrrachium hodie *Durazzo*, urbs Illyrici in ora maris Ionii, è qua transfretatur Brundusium. Tranquill. in Julio cap. 58. *A Brundusio Dyrrachium inter oppositas classes hieme transmisit*, Plin. lib. 3. cap. 11. *Dyrrachium* CCXX. M. *trajecta à Brundusio.* Tempore belli civilis eo secessit M. Tullius. Testis ipse libr. 14. famil. epist. 1. *Dyrrachium veni, quòd & libera civitas est, & in me officiosa, & proxima Italiæ.* Nomina locorum facilè corrupta invenies etiam apud ipsos Romanos, ut Brundusium dictum Brentesium, L. *Qui Romæ.* §. *Callimachus. de V. O.*

FINIS.

ERRATA ET ADDENDA.

PAG. 2. *lin.* 23. σγλαι *lege* σγλα.

P. 18. *lin.* 13. *spectacula*, *lege* spectaculo.

P. 23. *lin.* 26. Subdiaconatum, *lege* Diaconatum.

P. 34. *lin.* 30. maximè, *lege* proximè.

P. 48. *lin.* 3 *post templum*, *adde*: M. Tull. 4. ad Atticum epist. 1. *Cùm venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant.*

P. 51. *lin.* 19. post *senio* decst *uteretur*.

P. 55. *lin.* 21. venirct, *lege* veniret.

P. 70. *lin.* 18. e Vitiaco, *lege* à Vitiaco.

P. 78. *lin.* 28 circi, *lege* cirri.

P. 85. *lin.* 19 vera, *lege* vela.

P. 90. *lin.* 8. *post* apud, *adde* Bedam.

P. 99. lin. 22. *orationu*, lege *orationes*.

P. 108. lin. 29. *co idato*, lege *candato*.

P. 112. *lin.* 2. ipecie, *lege* ipe.

P. 115. *lin.* 20. *post* Atticum *adde* epist. 4.

P. 117. lin. 33. *Iater*, lege *Intus*.

P. 120. *lin.* 10. *pest* non est, *adde* alienum.

P. 130. *lin.* 20. tenerctur, *lege* texeretur.

P. 135. lin. 28. *Numestanen*, lege *Numestanen*.

P. 136. lin. 7. *spogiam*, lege *spongiam*.

P. 138. lin. 10. *casa*, lege *casu*.

Ibid. lin. 22. *coelites*, lege *celites*.

P. 142. *lin.* 24. xdii, *lege* xdis.

P 144. lin. 36. *Candidatorum*, legè *Candidatorum*.

P. 151. *post lineam* 5. *adde*: Galliam & specie mulichri depinxit Claudian. de laudibus Stilichon. lib. 1.

Tum flava reperta
Gallia crine ferox, auroque torque decoro,
Binaque gesta tenens, immoso pectore fatur.

P. 153. *lin.* 24. *Hæc verba*: Ideo jam dicto Gratiano ante omnes est traditus, ut quicquid de eo facere vellet, potestatem haberet. *cum sint è textu Anastasii, ponenda erant à capite, Italico character cusa.*

Ibid. lin. 32. *casto*, lege *castro*.

P. 155. lin. 20. post *umbilicum* adde *Italia*.

P. 157. lin. 26. *schyphos*, lege *scyphos*.

P. 159. *lin.* 1. *post* epist. *adde* 159.

In Indiculo Romanorum Pontificum, *post Epistolam nuncupatoriam*, *post* Adrianus I. *adde* Adrianus II. 164.

INDEX
RERUM ET VERBORUM

A

Abbas Presbyter. 87
Absis, absida. 28. 154
Aclamationes Vita. 162
Acephali. 77
Acolythi ne tangant reliquias Martyrum. 60. 61
Accubitum, lectulus tricliniaris. 99
Acta Concilii publicata. 112
Adoptio per tonsuram capillorum. 78
Adoratio S. Crucis per osculum. 83
Ætas velandarum virginum varia pro temporibus. 40
Agaunum oppidum Allobrogum. 106
Agenda, sacrificium pro defunctis. 77
Agentes in rebus. 28. 33
Alabandinæ gemmæ. 24
Albæ, margaritæ. 139. 140
Alexandrina tapetia. 143
Almariæ sericum. 150
Amæ, vasa aquaria: inde demunitivum Amulæ. 20
Anaglypha cælata. 30. 130
Analtalius B. peritus utriusque linguæ. 162
Anteropta, Salvatoris imago. 124
Annatæ seu deportus jus. 158
Antiphonarium. 151
Apocrisiarii seu Responsales, Missi Apostolici. 53. 54
Appar, exemplum instrumenti. 117
Appellationes ad S. Pontificem. 159. 161
Aquæ benedictæ institutio & gratia. 56
Aquimanile. 96. 132
Arcarius Ecclesiæ. 72
Archidiaconi officium & potestas. 14
Arcus argentei ad ornamentum sacrarum ædium. 46
Area sepulturæ. 27
Arenarium, cœmiterium. *ibid.*
Argentum dolaticum. 24
Argumentum, dolus. 114
Armilausa, vestis militaris. 93
Articuli montium. 109
Asrea Virgo & Martyr, eadem quæ Petronilla. 84
Auricularis. 115
Aurum trimme. 24
Autocephalia Ecclesiæ Ravennatis. 71. 75
Axiomatici. 162
Asyla Ecclesiarum. 60

B

Balneorum usus Christianis permissus. 35
Balneoregium, civitas Thusciæ. 153
Baltheum, *Baudrier*. 93
Bandora, Bandum. 116
Baptisterium. 25
Baptisterium in limine Ecclesiæ. 27
Baptisteria habebant sua altaria. 43
Basilicæ S. Pancratii, titulus Cardinalis. 68

Basilica S. Mariæ ad Præsepe, hodie Majoris. 68
Basilica S. Mariæ ad Martyres, hodie Rotundę. 69
Bauca, armillæ genus. 151
Benedictio novarum frugum & uvarum. 16
Benedictio pontificia. 55
Benedictio pro refectione. 100. 101
Bibliothecæ in majoribus Ecclesiis. 43
Bibliothecarius Ecclesiæ Romanæ. *ibid.*
Blattea vestis, Blatta. 51. 97
Boia, vinculi genus. 64
Bonifacius Germaniæ Apostolus. 91
Bullæ. 160
Bullæ aureę. 156
Burgus, castrum. 137
Butro, Buticula. 130
Byzantini, nummi genus. 127
Byzantini Sarracenati. *ibid.*

C

CABALLUS, Caballicare, Caballicata. 72
Calcaria. 87
Caldaria. 121
Calices communicales, cum sypho-ne, seu fistula. 30
Calices communionis causa pro modo baptizatis. 37
Calices ministeriales, calices majores ad ornatum. 29. 30
Camelaucum, pileus Pontificis. 89
Caminata. 142
Camisiæ sigillatæ. 157
Campanę datur signum ad Matutinas, Campanile. 10. 113
Campestria, Campestrati. 96
Cancelli absidæ. 120
Canistra exaphodia, Canistra ficcaria. 92. 93
Canonici regulares. 140
Canon Missæ. 94
Capella, syntheseis sacrarum vestium. 39
Capellani, Clerici Palatini. 117
Capillatium. 141
Capita, Capitationes. 69. 79. 80
Capitulum variè acceptum. 75
Carisiacus, villa regia. 106
Carnis esus in Nativitate Dominica, etiam si incidat in feriæ sextæ. 8
Carsamatia. 103
Casalia, prædia suburbana. 70. 121
Castellum S. Angeli. 150
Castra in urbe. 85
Catabulum, equile Cæsaris, ad quod damnari solebant Martyres. 19
Cataracta. 143
Catatumbæ, locus ubi condebantur corpora Martyrum. 12. 13
Cauponis interdictum Clericis. 38
Cazari. 157
Cella, Cellarium. 108. 110. 111
Cellarium Lateranense, Paracellarium. 104
Centenarium. 122
Cereus Paschalis. 38
Cerostrata, vasa quibus imponebantur cerei, vel lucernæ. 22
Chartophylax, custos archivi Ecclesiæ. 73
Cherismos, dextrocherium. 126
Chrismatis consecratio est Ordinis Episcopalis. 21
Chrysoclavum, vestis ornata clavulis aureis. 125
Ciborium, operculum Altaris. 46. 47
Cincinnorum fimbriæ. 78
Circelli. 140
Circus, locus concionum. 86
Clamacterii. 146. 147
Clavium traditio. 117
Clerici debent esse in obsequio Episcopi, testes ejus conversationis 40
Clerici vetantur sistere apud Judicem laïcum. 22
Clerici tonsi in coronam. 8
Clusæ, fauces Alpium. 105. 106

Colatorium, Colum. 127
Collare, monile aureum. 96
Colosseum, Coliseum. 110
Columnæ ragiatæ, id est, reticulatæ. 42
Columnæ Aquitanicæ. 42
Commercium servorum. 103
Communia laica. 145
Confessores quid distant à Martyribus. 54
Confessiones sunt sepulcra Apostolorum & Martyrum. 39
Confirmatio electi Rom. Pontificis. 153
Conjungere. 113
Conlignatio, seu confirmatio baptizatorum est Ordinis Episcopalis. 21. 22
Consuetudo triceſimalis. 158
Consuetudo de secundis auxiliis. 159
Constitutiones Apostolicæ, custodiæ causâ depositæ in archivo Ecclesiæ. 35
Cornua candelabri, antennarum. 154
Corona Domini, Ordo Ecclesiæ. 13
Coronæ Deo & Martyribus oblatæ. 27
Corona consecrata est Eucharistia. 10
Corpora Martyrum condita in loculis plumbeis. 53
Corpus Ecclesiæ. 136
Cortinæ, vela. 119
Crux in collo. 94
Crucis præferendæ jus. 147
Crypte, loca subterranea in quibus condebantur corpora Martyrum. 13. 124
Cubicularii, Matricularii Ecclesiæ. 40
Cubicula, oratoria. 47
Cultus lucorum, arborum & fontium. 82
Cuppa, Cuppella. 121
Cymelium, Vestiarium Ecclesiæ. 63
Cyprium æs. 130

D

Dalmatica, vestis Diaconorum. 16. 22
Damnatorum corpora publicè proposita ad exemplum. 64
Decimata, mensura vini. 120
Defensores Ecclesiæ Romanæ. 145
Delitiosus. 115
Delegatum pro legato. 33
Depositio solemnis Episcoporum. 78
Detrusio in Monasterium pœnitentiæ causâ, pœnæ genus. 36. 74
Diaconi septem instituti in Ecclesia R. 4
Diaconi divisi per septem regiones Urbis, horum officium. 12
Diaconorum manipulum. 38
Diaconorum est baptizare. 61
Diaconiæ sunt loca, in quibus annonæ egentibus erogabantur. 78. 123
Diagrapha, descriptiones census. 69
Dies anniversarius ordinationis Episcoporum. 76
Diligentiæ nocturnæ. 137
Diligentia, indiligentia. *ibid.*
Diplomata Imperatoris, aureâ bullâ obsignata. 86
Divisio provinciarum non mutat statum Ecclesiarum. 162. 163
Domoculta. 102. 103
Domucella. 158
Donariis inscriptum nomen donantis. 138
Donationis piæ solemnia. 117
Dypticha Ecclesiæ. 74
Dyrrachium. 163

E

Ecclesia S. Angeli in monte Gargano. 45
Ecclesiæ tectæ plumbo. 60. 69. 84

Ecclesiæ depictæ. 38
Egumenus, Præpositus Monasterii. 114
Egumenarchium, Præpositura Monasterii. ibid.
Electio Rom. Pontificis. 59
Electio libera Rom. Pontificis restituta. 78
Electio Rom. Pontificis in Ecclesia Lateranensi. ibid.
Electio Rom. Pontificis per adorationem & osculum. 81
Electio Episcopi cum acclamatione plebis. 109
Elevatio reliquiarum Sanctorum. 65
Epiphania. 155
Episcopi & Presbyteri sedent in Concilio, adstant Diaconi. 60
Episcopus dat pacem, id est, benedictionem. 67
Equitii Ecclesia, titulus Cardinalis. 29
Evangelii lectio, ejusque solemnitas. 36
Evangelii codex in cista aurea, vel argentea. 51
Eucharistia datur Clericis per Episcopum, plebi per Presbyterum. 10
Eugubium, seu Comiaclum. 107
Exarchatus Ravennatis donatio per Pipinum. 107
Excommunicatio repetita. 160
Exempla, tessellæ. 127

F

Familia, grex servorum. 80. 114
Fastigium batutile ædium sacrarum. 23
Fastigia, capitella columnarum. 42
Fermentum, panis fermentatus per Ecclesias missitari solitus vice eulogiæ. 49. 55
Fibula, Fibulatorium. 96
Flammula, vexillum. 108
Formatæ, signa communionis Ecclesiæ. 6
Formæ, aquæductus. 31
Forma Sabathena. 61. 62. 122
Fossata, castra militum. 85
Frescata, olim Tusculum. 148
Funda, marsupium. Fundatum pro auro. 120. 162

G

Gabatha, patellægenus. 95
Gabatha Saxisca. ibid.
Gallinæ albæ, id nomen loco urbis. 37
Galli cantus. 71
Gammadium. 126
Gemelliones. 124
Genuculum, Geniculatio, Genicula. 108. 109
Gestationes. 121
Gloria & laudes. 50
Gradus Ecclesiarum & Templorum. 47. 48
Grationes, Judices municipales. 115
Gremium Basilicæ. 38

H

Habente, Habere. 145
Hæretici flagellis cæsi. 50
Hastilia. 77. 78
Historiæ, variæ figuræ. 125
Historia incapillata. 141
Honorati, functi muneribus. 55
Horæ canonicæ. 98. 101
Hostis, manus militum. 85
Hymnus Angelicus in sacrificio Missæ. 8. 48
Hypante, seu Hypopante, festum Purificationis. 84. 85. 155
Hypogæum, locus subterraneus in quo condebantur mortui. 13

I

Icon, Iconia, imago. 147
Imagines Principum in Templis. 86

Imago Urbium vel Provinciarum specie muliebri. 151
Imaginum sublatio. 75
Jejunium Quadragesimæ. 7
Jejunium Sabati. 10. 11
Imizinum, Hermizinum. 130
Imminere, observare quempiam. 12
Imola olim Forum Cornelii. 110. 111
Inclusæ auro gemmæ, Inclusores, Exclusores. 24
Inclyti, Senatores. 73
Ingenium. 145
Intartizare, Intarta. 63. 64
Inter duas Lauros, id nomen loco viâ Lavicanâ. 29
Interrasile aurum. 95
Instar, Imagines. 125
Inventarium rerum initio ordinationis Episcopi. 158
Italia divisa per Ducatus. 99
Iter exercitus indictum per tesseram vel per buccinam. 107
Judex cinctus, id est, civilis. 22. 23
Judicium juxta legem Romanam. 153
Jugulum confessionis. 157
Jugulum causæ. *ibid.*
Justitiæ B. Petri. 113

L

Labarum variè accipitur. 26
Lacus & conchæ trientes. 41
Laïci ne testes audiantur adversus Episcopum. 22
Laïci ne stent intra cancellos. 145
Largitio in plebem. 65. 147
Lateranensis Basilica dicta Salvatoris. 53. 66
Lateranense Palatium diripitur in electione Pontificis. 62. 63
Laudamentum, Laus, Laudare. 120
Laudenæ, vasa Ecclesiastica. *ibid.*
Lectio Passionis Christi semel in anno in Sacrificio Missæ. 5
Lectionum lectio, munus Subdiaconorum. 156
Lectiones Græcæ & Latinæ. *ibid.*
Lecticaria. 121
Lectorium, analogium, *Letrin.* 133
Legati à latere. 159
Leonina urbs. 149
Letaniæ cum evangeliis & crucibus. 91. 129
Letania, processio solemnis. 57
Letaniæ indictæ ob varias causas. 70
Letania ante Ascensionem. 130
Letania ante Ascensionem instituta à Mamerco in Galliis. 131
Letania major. 128
Levæ, prædationes eorum Ecclesia in morte Pontificis. 62
Libellus officialis. 88
Libri damnati publicè cremati. 45. 162
Linea vestis propria Sacerdotum. 23
Lista, ora vestis. 131
Loculus pro feretro, *une Biere.* 53
Lucernæ ardentes ante sepulcra Martyrum. 29

M

Magistriani. 82
Majoricæ oleæ. 151
Mala hora, Bona hora. 129
Mallones capillorum. 78
Mancusi, nummi genus. 124
Mansionarii, æditui sacrarum ædium. 78
Mantum, breve pallium. 93
Manumissiones in Ecclesia. 33
Mappulæ, linteolæ albæ. 89
Martyria sunt oratoria posita super sepulcra Martyrum. 15
Martyrarii, Presbyteri impositi hujusmodi oratoriis. *ibid.*
Martyres sepulti cum dalmatica, vel colobio. 16

Martyrum bona fisco addicta. 29
Matroneum, pars mulierum in Ecclesiis. 48
Mediana. 132
Medimnus continet modios sex. 6
Memoria Passionis Christi in Sacrificio Missæ. 4.5
Memoriæ Apostolorum & Martyrum. 3
Menianum. 121
Metallum pro marmore. 26
Metreta, mensura liquidorum. 24. 25
Ministeria sunt vasa sacra. 6
Ministeria debent esse argentea. 11. 39
Missa nocturna in Nativitate Dominica. 7
Missæ tres in Nativitate Dominica. 7. 8
Missa publica. 60
Missio Episcoporum ad conversionem infidelium. 90
Molæ. 121
Monasteria non subjecta titulis Cardinalibus. 98
Monasterium in clivo Scauri. 109
Monasterium Græcorum Romæ. 137
Mucrones. 138
Mulieres velatæ in Ecclesia. 1
Mulieribus locus tabulato distinctus in Ecclesia. 1. 2
Murena, Murenula. 140
Musivum opus, id est, tessellatum. 42
Myxum, ellychnium. 26

N

Natales Martyrum. 48. 94
Navis Ecclesiæ. 126
Navicellæ. 141
Naumachia Romæ. 134
Nomenclator. 72. 87
Non nominandus. 70
Notarii per septem regiones Urbis dispositi, qui gesta Martyrum exciperent. 2
Notariorum officium. 2. 3
Notarii regionarii unde dicti. 3
Notitia rerum Ecclesiæ. 32
Nymphæum variè acceptum. 40. 53

O

Oblationarius. 100
Obscœna honesta appellatione velantur. 137
Octava Assumptionis. 147
Occursûs honor cum cereis. 68
Olitanum. 123
Olovera vestis. 51
Oraculum pro oratorio. 66
Orarium, insigne Diaconorum. 22
Oratio Clericatus. 108
Oratoria in cemiteriis. 80
Ordinatio non sine titulo. 4
Ordinationes ne fiant sine assensu Cleri & plebis. 9. 10
Ordinationes per gradus. 17. 111
Ordinator. 88
Ordines Ecclesiæ distincti. 8
Osculum liminis Templi. 116
Osculum pedum S. Pontificis. 81. 82
Ostiensis Episcopus consecrat S. Pontificem, & ad hoc utitur jure pallii. 31. 32

P

Palergium. 77
Pallacenis, id nomen cloacæ Urbis. 32
Pallium, signum plenitudinis Pontificalis officii. 100
Pallium gratis dandum. 76
Panni de sifori. 161
Pantheon, hodie Ecclesia S. Mariæ Rotundæ. 59
Paradysus, atrium Templi. 142

Parochiæ diviſæ à Dionyſio. 15
Paſcha ſemper celebrandum die Dominica. 9
Patena chriſmatis. 20. 30
Patricius & Comes. 55
Peculium, Pecus. 114
Pentapolis. 113
Peregrinatio frequens ad limina Apoſtolorum. 64
Pergula, exedra ante Altare, in qua exponebantur donaria. 31. 32. 94. 95
Pergula, pars projecta ædium. 95
Periclyſis, limbus veſtis. 125
Pertinentes, Pertinentiæ. 138
Petalum, corona aurea. 83
Petia, Petiolus. 156
Petraria. 143
Pharus, lychni genus. 20. 21
Piſtica nardus. 21
Pitacium, ſchedula. 103
Plagare. 90
Platinæ, Platoniæ, tabulæ marmoreæ. 34
Planeta, veſtis ſacerdotalis. 128
Plematium, velum ſericum. 82. 183
Plumbatæ, flagelli genus. 13
Pœnę ad exemplum. 18
Pœnitentiarii. 43
Polycandelum. 132
Pontia, inſula in ora maris Tyrrheni. 54
Pontificium. 150
Pontigone villa regia. 106
Poſterula. 149
Preſbyteria, annonæ Preſbyterorum. 67
Primatus Eccleſiæ Romanę. 44
Proceſſio cum pſallentio. 125
Proceſſus Imperatoris ad Baſilicam Petri. 68
Profeſſio fidei Imperatoris. 51
Propitiatorium altaris. 137
Pſalterium Romanum & Gallicanum. 54
Pſellia. 137
Pſeudothyrum. 149
Pulmentum. 121
Purgatio in ambone Eccleſię. 57

R

RAVENNA metropolis Æmiliæ. 158
Reconciliatio pœnitentium. 19. 110
Referendarius, Cancellarius Regis. 114
Regiæ, fores majorum Eccleſiarum. 61
Regnum pro corona. 50, 61
Regnum Spanoclyſtum. 133
Regulæ, regulares virgæ. 96. 97. 112
Regulæ Monachorum. 37
Relatio pro delatione, vel conſultatione. 44
Reliquiarum loculis apponebatur pitacium. 103
Repida, parva ſigna. 158
Reſpectare. 82
Reticulum. 156
Roga, erogatio ſolemnis. 60
Rom. Pontifex non poteſt deſignare ſucceſſorem. 52
Rom. Pontifex à nemine judicatur. 129
Romipetæ ſunt ſub protectione Apoſtolica. 65
Romani raſi & tonſi. 115
Rotæ textiles. 126. 135
Ruga, via ſemita. 115. 118

S

SACELLARII officium. 64. 87
Sacra, epiſtola Principis. 49
Sacramentorium. 152
Sanctimoniales vaſa ſacra vel pallium altaris ne contingant. 9
Saratum. 157
Sardinia, inſula juris Eccleſiæ Rom. 30. 80

Sarta tecta. 126
Saxonicia, vestis genus. 95
Scara, turma equestris. 88
Scebrum, horreum. 82
Scholę in Monasteriis. 145
Scholæ peregrinorum Romę. 128. 150
Schola Cantorum, Magister Scholæ. 144
Scholastici. 150
Schola Palatina. 144
Scribonum varium manus. 55
Scutella pro annona, quæ erogatur per scutellas, id est, per signa seu tesseras. 51. 52
Scutum, Scutulum. 34
Scyphus. 142. 143
Scyphi stationales. 51
Secretarium Ecclesię. 58
Secretarium pro Prætorio. *ibid.*
Sella, Sellare. 88
Sequipedes. 114
Signa inter columnas. 102
Signa deorum velata. 141
Sigilla, parvula signa. 69
Sigillatę vestes. 25
Sigillum, præceptum sigillo munitum. 88
Silentiarius. 105
Silvę inter columnas ædium. 102
Smaltum, *Email*. 148
Solarium. 122
Solatiari. 148
Soracte, mons vicinus Urbi. 19
Spatharius, Spatha. 67
Spongiarum varius usus. 92. 136
Spongiæ pro nocturnis diligentius. 136
Spongiæ missę benedictionis causâ. 92
Sportulę mensurnę, Sportulantes. 52
Stationes die Dominica. 169
Stationes, Stationum ministeriales. 42. 44
Stauracis, velum sericum. 83. 119
Strator, ejus officium. 106
Statura, pro statura hominis. 125
Staupi. 161
Sublacus, prius Monast. S. Benedicti. 148
Suggestio, Suggerenda monitio. 56
Superista. 153
Susceptum, securitas à portu. 56
Syllabę pro literis. 115
Synodi Romanę in Ecclesia Lateranensi. 66

T

Tesseræ frumentariæ. 52
Testudo, camera fornicata. 142
Textus pro libro seu codice. 49
Thecæ reliquiarum obsignatæ. 82
Thuris suffitus. 25
Thymiamateria. *ibid.*
Tituli seu vela regia. 159
Tituli Cardinales instituti in Ecclesia Romana. 4. 135
Tituli Cardinales requirunt residentiam. 150
Tractatus, Tractatores. 40
Transenna. 39
Transitus, obitus Sanctorum. 131
Tria Fata, locus in Urbe. 62
Trullus, Palatium C. P. 73
Trulla, vas vinarium. 83. 84
Turris cum columba ob custodiam SS. Eucharistię. 26
Tympanum, cellula bullę. 161
Typus, pragmaticum edictum. 65

V

Vacante Sede nihil innovandum. 45
Vasa sacra non attingenda ab aliis quàm à sacris Ministris. 6
Vaticanum. 149
Vectigal pro confirmatione S. Pon-

tificis remissum. 75
Velum ad fores. 54
Vela inter columnas ædium sacrarum. 102
Vela Rhodina. 139
Vela cilicia. 142
Vestes sacræ ne sint in usu quotidiano. 14
Vestiarium. 123
Vicedominus, Vicarius Episcopi in temporalibus. 56
Vicedominus, Vicedominium. 108
Vigiliæ non sine jejunio. 56
Vigiliæ in cemiteriis. 100
Vigiliæ omnium Sanctorum celebrantur in Ecclesia B. Petri. *ibid.*
Virginibus proprius locus in Ecclesia. 2
Viriæ, armillæ manuum. 139
Visitator Sedis Apostolicæ datus in schismate. 46
Vitreæ vice tectorii. 105
Votarea vel Pancarea, imago Synodi sextæ. 89
Umbilicus. 155
Uncus, Uncinum. 142
Ursus pileatus, id nomen vico Urbis. 36. 37

Y

YPATI, Consules. 63

FINIS.

SUMMA PRIVILEGII.

LUDOVICI XIV. Franciæ & Navarræ Regis Christianissimi Diplomate cautum est, ne quis in ipsius regno, aliisve locis ejus ditioni subjectis, intra proximos sex annos à die editionis perfectæ inchoandos, excudat, vendat, vendendum aut excudendum quovis modo ac ratione curet, Librum qui sic inscribitur : ANTONII DADINI ALTESERRÆ *Notæ & Observationes in Anastasium de Vitis Romanorum Pontificum*; sub pœnis in originali Diplomate contra delinquentes expressis, præter illum Typographum aut Bibliopolam quem Auctor elegerit. Apud Sanctum Germanum in Laya 23. Aprilis 1679.

Sic signatum, JUNQUIERES.

Ipse verò Auctor ANTONIUS DADINUS ALTESERRA hoc Privilegium transfudit in LUDOVICUM BILLAINE, Typographum Bibliopolam Parisiensem.

Hocce Diploma in Codicem Typographiæ Parisiensis relatum est à CAROLO ANGOT, *Syndico, die* 18. *Decembris anni* 1679.

Hæc Editio absoluta fuit die 23. Decembris ejusdem anni 1679.